MARQUARDT

mit besten Grüßen
von Marqu

Dr J. Marquardt

Zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

des

Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums zu Posen,

welche

Dienstag den 30. März 1858

stattfindet,

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. J. Marquardt,
Director.

Inhalt: 1) De Horatii Carm. II, 1. et I, 28. Epistola ad Frid. Ritschelium. 2) De aliquot locis Aeschyli Supplicum et Sophoclis Tragoediarum. Von Prof. Martin. 3) Schulnachrichten.

POSEN,
gedruckt in der Königlichen Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

DE HORATII CARM. II, 1 ET I, 28.

EPISTOLA

AD

FRIDERICUM RITSCHELIUM, D[R]., V. CL.,

REGI BOR. AB INT. CONS.,
ACADEMIAE BONENSIS PROFESSOREM.

FRIDERICO RITSCHELIO
FRIDERICUS MARTINUS
S. P. D.

Nihil magis praeter exspectationem mihi potuit accidere, quam quod Tu, Vir Clarissime, postquam in Museo Rhenano nuper de tribus strophis in Horatii Carminum libri primi oda prima interpolatis doctissime et sagacissime disputasti, honorificis mihi verbis Te dicis scire velle quid ego potissimum de ratione Tua sentiam. Mire sane affectus sum, cum Aprili mense exeunte aut Maio ineunte fasciculum illum Musei vidi. Nam cum studia mea Horatiana inde a vere a. 1844, cum commentatiunculam illam de aliquot Horatii carminibus, propter quam Tu me provocas, scripsissem, praeterquam quod ante hos decem annos per aliquot hiemis menses huius poetae interpretandi munus mihi impositum fuit, per totum hoc temporis spatium prorsus quievissent, ita ut non modo nullam paene eius lectionem instituerem, sed etiam opellae illius meae ipse paene oblitus essem, singulare sane mihi visum est, quod de Te tanto viro ego et ingenio et doctrina tanto inferior iudicare iussus essem. Nihilo minus tamen ne voluntati Tuae deessem, sed quantum possem satisfacerem, et carmen illud denuo legi iterumque ac saepius legi atque examinavi, et rationes Tuas perpendi. Et saepissime consilio ad Te scribendi capto et dilato nunc tandem scriptionis scholasticae occasione oblata quid ego de illa causa sentirem perscripsi et iam ad Te mitto, quanquam valde timens, ne Tibi haec mea non magnopere satisfaciant. Simul autem hac occasione arrepta meam de carm. I, 28 sententiam exposui, ut si Tibi videretur, Tu quid de ea censeres mihi significares, et praeterea Aeschyleorum et Sophocleorum studiorum specimina aliquot adieci. Ceterum ignoscas mihi velim, quod hoc mihi iuris sumpsi, ut commentationis Tuae verba magnam partem in annotatione subiicerem, quia timendum erat, ne ab iis qui Tua aut non legissent aut non ad manum haberent, quae ego disputarem parum intelligerentur.

Tua de Carm. II, 1 disputatio primo cum eam legissem facile mihi persuadebat atque ad Tuam me sententiam adducebat. Ac tertiam quidem stropham:

Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

quam Peerlkampius damnaverat, ipse quoque ante hos quattuordecim annos, quia nec haec: *paullum severae Musa tragoediae desit theatris*, mihi placebant, et in his: *ubi publicas res ordinaris*, haerebam, tanquam suspectam notaveram. Tu vero iam ea attuleras argumenta, quae nullam dubitationem relinquere viderentur. Deinde Tu strophas septimam et nonam tanta eloquentia, tanto ingenii acumine, tot tamque gravibus argumentis impugnaveras, ut causam earum suscipere sane periculosae plenum opus aleae esse videretur. Itaque etiam de his duabus strophis facile Tibi assentiebar. Sed de nona stropha unum erat, in quo a Te dissentiendum mihi putarem. Nam quia, cum in octava stropha:

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

de terrestribus proeliis sermo esset, horum mentione facta non facile fieri potuisse mihi videbatur, ut navales pugnae silentio praetermitterentur; aut nonam stropham:

Qui (*leg.* quis) gurges aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?

qualiscunque esset, servari, aut hoc si nullo modo fieri posset, octavam quoque, quantumvis bona esset, eiici necesse esse existimabam, ut iam sex stropharum carmen relinqueretur. Atque apte quidem ultimam verbis illis vv. 23, 24: *et cuncta terrarum subacta praeter atrocem animum Catonis* continuo subiici potuisse vix quisquam negaverit. Et tum convenientiae partium illius architectonicae quam dixerunt, propter quam Horatius magnopere laudatur, exemplum haberemus egregium. Nam primis duabus strophis aptissime responderent vv. 17—24, quippe quae pariter de bello civili agerent, tertia autem eiecta stropha versus 13—17 appellationem haberent Pollionis, ultima stropha vv. 37—40 Musae compellationem. Qua ratione quid posset esse elegantius? Atque in hanc fere sententiam ad Te scripturus eram. Sed cum diem ex die procrastinarem, appropinquavit tempus conventus philologorum Vratislaviae habendi, cui cum Te quoque, qui olim academiae Vratislaviensis decus fuisses, interfuturum sperarem, commodius mihi videbatur coram de ea re Tecum agere. Sed spes mea Tui videndi decepta est. Itaque tamen quamvis invitus ad scribendum compulsus sum. Et re vera Octobri mense medio epistolam ad Te scripsi, non absolvi tamen. Atque huius quidem cunctationis me non poenitet. Nam cum eodem fere tempore propter leviorem quandam quaestionem grammaticam maiorem Horatii partem cursim perlegens Sat. I. 10, 42 (50) ad haec pervenissem:

Pollio regum
Facta canit pede ter percusso,

horum verborum me intellexi tum, cum tertiam stropham eius carminis de quo agimus in suspicionem vocarem, non fuisse memorem. Nimirum iam diu tum erat quod satiram illam non legeram, commentarios autem in illa lectione non consulebam. Iam vero illis verbis monitus cognovi, merito mihi propter id ipsum, quod Horatius tragoediarum Pollionis mentionem omissurus esset, nonnihil dubitationis fuisse.

rectene tertia stropha posset eliminari. Praeterea in mentem mihi venit Virgilii de Pollionis tragoediis Ecl. 8, 9 haec dicentis:

En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno,

unde apparet quanti illae factae sint. Haec cum Te fugere non potuerint, in eo nos apparet discedere, quod Tu haec non tanti esse putas, ut Horatius tertiae strophae tot tantisque criminibus obnoxiae auctor sit existimandus, ego poetam, praesertim cum Pollionem oratorem, senatorem, imperatorem laudet, sine offensione eius quadam non potuisse tragoedias silentio praetermittere arbitror. Itaque periculum mihi faciendum putavi ea quae Te merito offendunt aliquatenus defendendi aut excusandi. Quamquam libere fateor non illam modo stropham mihi parum placere, sed etiam eam quae sequitur:

Insigne maestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae,
Cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho,

nisi propter Pollionis appellationem esset necessaria, si abesset, me non magnopere esse desideraturum. Sed Pollionis nomen nullo alio loco potest inferri. Ferenda igitur mihi videtur utraque stropha.

*) Iam quod *severae Musa tragoediae* et *grande munus* dicitur, haec epitheta non ideo mihi videntur addita, ut tragoedia opponeretur historiae et haec quodam modo elevaretur, sed simpliciter illius naturam per se describere, ut sint ex ornantium quae dicuntur epithetorum genere, simulque fortasse tragoediae a comoedia potissimum, forsitan etiam ab aliis levioribus poesis generibus diversitatem significare nullo historiae detrimento. Deinde quamquam tragoediarum in scenam productio non erat res privata, tamen non est referenda inter eas res publicas, de quibus historiae belli civilis scriptori agendum erat, quae ad domestica et bellica partium certamina referenda sunt. Deinde verba *ubi publicas res ordinaris*, quae mihi quoque offensioni fuerunt, cum *rem publicam ordinare* longe aliud significet, ita mihi defendi posse videntur, ut sic fere intelligantur ut Bentleius ac post eum Ianius aliique acceperunt. Nam cum *res* saepissime historiam rerum gestarum significet, *res publicas ordinare* nihil impedire mihi videtur quo minus

---

*) Rheinisches Museum für Philologie, Jahrg. II. Heft 4., 1857, pag. 629. „Ich will nicht zum so und so vielten Male reden von dem befremdlichen *publicas res ordinaris*, worin entweder *ordinaris* überaus prosaisch oder *publicas res* gegen allen Sprachgebrauch für *rem publicam* steht; — nicht davon, dass es schief ist, zu den *publicas res* die *theatra* in Gegensatz zu stellen, da die ludi publici so weit wie möglich entfernt sind von dem Begriff einer Privatangelegenheit und so sehr wie etwas zu den öffentlichen Interessen gehören; — selbst davon nicht, wie sehr es gegen Schicklichkeit und Sitte ist, dass nach der zwei Strophen langen Einleitung erst in der vierten Strophe und im zweiten Satze die Anrede an den Pollio nachschleppt: obwohl mir nicht unbekannt ist, mit welchen unpassenden Beispielen man diess vertheidigen kann. Ueber alles dieses lässt sich herüber und hinüber streiten. Aber auf drei Fragen darf man drei Antworten fordern, welche eine Möglichkeit der Vertheidigung der dritten Strophe übrig lassen, Erstens: mit welchem Rechte traut man dem Dichter eine so dick aufgetragene, eben so unverschämte wie abgeschmackte Schmeichelei zu, dass mit dem Feiern des einen Pollio es gleich mit aller Tragödie überhaupt ganz und gar aus sei für das Theater? in einer Zeit, in der noch z. B. Varius seine Triumphe feierte; oder aber, wenn nicht die tragische Muse überhaupt, sondern eben nur die Pollionische gemeint ist, nach welcher sprachlichen oder logischen Regel soll *Musa* für *tua Musa* stehen? Zweitens: mit welchem Rechte traut man dem Horaz ein so völlig leeres und müssiges Epitheton zu, wie es *severae* darum ist, weil es eine andere *tragoedia* gar nicht giebt? Oder aber, wenn darin eine bestimmte Beziehung liegen soll, welchen Sinn hat es, die *tragoedia* als *severa* gegenüberzustellen der Geschichtschreibung blutiger Bürgerkriege, der und denen doch wohl keine geringere *severitas* zukömmt? Drittens: wie will man *grande munus* als Prädicat der Pollionischen Tragödiendichtung schützen, ohne daneben eben jene Geschichtschreibung als eine minder grosse, würdige Aufgabe erscheinen zu lassen? und wie diese Herabsetzung mit dem Inhalt und der Absicht des ganzen Gedichts vereinigen?"

idem sit ac res domi bellique gestas (die politischen und militairischen Staatseräugnisse) ex ordine referre et describere.

Sed restat, ut ad eam quaestionem quam Tu primam posuisti respondendi periculum faciam. Ego enim verba *paullum severae Musa tragoediae desit theatris* nihil sibi velle puto nisi: paullisper cesset tibi Musa, i. e. cesses tragoediis faciendis scenae operam dare, hisque verbis magnam suam de Pollionis historia exspectationem exprimere; longum enim sibi videri dum eam legere possit. Praeterea quod Tu tertiam stropham, si non aliis rationibus damnanda esset, post quartam ponendam esse censes eumque locum ei fortasse ab interpolatore datum fuisse, sunt tamen quae mihi traditum ordinem tueri videantur. Nam primum aptius mihi videtur historiam continuo tragica poesis sequi, quia utraque in litterarum studiis est posita et cognationis quodam vinculo inter se coniuncta. Accedit quod in quarta stropha: *insigne — triumpho*, gradatio quaedam inesse videtur trium illorum munerum oratoris patronique, senatoris, imperatoris; quod si ita se habet, non recte haec exciperet commemoratio tragoediae, quae ad rempublicam non modo nihil pertinet, sed etiam a Romanis, ut omnino litterarum et artium studia, prae fori et reipublicae negotiis parvi existimabatur. Denique quinta stropha: *iam nunc — voltus*, nunc aptissime subiicitur verbis: *cui laurus aeternos honores Delmatico peperit triumpho.* Nam propter id ipsum, quod Pollio imperator fuerat reque bene gesta etiam triumphaverat, maxime idoneus erat qui proelia describeret et legentibus quasi ante oculos poneret. Tolleretur autem hic nexus, si tertia stropha quartae postponeretur. — Haec fere sunt, quae pro tertia stropha mihi dici posse videantur, quamquam languidam eam esse et frigidam parumque poeticam non possum non concedere. Sed partim considerandum est, Horatium quoque interdum dormitare, partim hoc carmen si tricenarius fere fecerit, inter priora eius carmina esse referendum, ut mirum esse non possit, si quid in eo minus bonum et perfectum reperiatur. Idemque etiam de septima et nona stropha dictum volo. Nam cum eo deductus sim, ut tertiae strophae patrocinium susciperem, non poterit mirum videri, quod etiam septimam et nonam tuendi periculum faciendum putaverim.

Venio igitur iam ad septimam stropham:

Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae,

cuius orationem et verba ne Tu quidem reprehendere videris; alia sunt quae Te offendant.*) At mihi quidem haec sententia, qua mala belli civilis Romanis ab inimico et infesto aliquo deo aut a pluribus immissa esse dicuntur, sextae strophae non inepte videtur subiecta, nec minus apte tum, ut illud ita esse demonstretur, multorum proeliorum, quibus Romanorum inter se saevientium sanguis profusus sit, mentio fieri, recte etiam et accommodate Catone commemorato Africa introducta. Quaerendum erit, num Iugurtha is sit, cuius vindictam Iuno recte suscepisse dici possit. Qui cum post Carthaginis interitum Africae, cuius tutelaris dea Iuno habebatur, libertatis patronus et defensor quodammodo fuisset ultimus, equidem in eius quamvis nefarii hominis persona nihil offendor, praesertim cum Iuno etiam alibi, imprimis apud Romanorum poetas, cupiditate vehementissima atque ut irae suae satisfaciat iustitiae honestique minime curam habens describatur.

*) Ebend. pag. 630. „Lassen wir den Streit um die formell jedenfalls zusammenhanglos genug eingeschobene siebente Strophe *Iuno et deorum quisquis amicior* u. s. w. für den Augenblick auf sich beruhen. Die Ausstellungen im Kleinen mögen sich immerhin beseitigen lassen; die letzte Entscheidung wird für den Einzelnen davon abhängen, welche Vorstellung er sich von Römergesinnung und Römerauffassung macht gegenüber einem römerfeindlichen und römerschändenden Barbaren, wie Jugurtha, zu dessen Ehren und glanzvoller Genugthuung hier, als wenn es einem Troerfürsten Priamus gälte, der halbe Olymp bemüht wird als Vollstrecker ewiger Gerechtigkeit und Züchtiger des durch seinen Sieg über eben jenes Barbarenthum schuldbeladenen Römervolkes, für das die andere Hälfte himmlischer Schutzmächte machtlos oder theilnahmlos bleibt."

Recordemur tantum, Virgilius qualem eam inducat. Mirari igitur non poterimus, quod ea Iugurthae exitii tam crudelem poenam a Romanis expetisse dicitur. Ac de ceteris dis, qui ut apud Homerum inter Graecos et Troianos, sic tum inter Romanos et Afros divisi sunt, similiter erit iudicandum. Ceterum cum Acron explicans: *tanquam civilia bella quae postea gesta sunt in Africa ad vindictam Africae superatae, Iunonis ira vel deorum fecerit commoveri*, v. 25 legisse videatur *Iuno aut deorum*, hoc *aut* pro *et* si boni codices confirmarent, ego praeferendum putarem. Ceterum cum his versibus comparetur Lucanus Phars. IV. 788—90, qui fortasse haec Horatii spectavit.

Venio iam ad nonam stropham partemque operis suscepti longe difficillimam.*) Qua de causa haec aut certe sententia eius mihi deesse non posse videatur, iam supra dixi. Conabor igitur quantum fieri poterit eam defendere. Atque hoc quidem volens lubensque Tibi concedo, verborum plus inesse quam sententiae. Nam ut pariter atque opposita sententia strophae ambitum navalium pugnarum mentio expleret, quod non raro apud oratores atque etiam apud poetas videmus, factum est, ut oratoria copia esset verborum potius quam sententiarum. Nam cum in praecedente stropha unam eamque gravem interrogationem habeamus, in hac ita est institutum, ut per partes res enuntiaretur atque hac quidem ratione. Primum totum interrogative ponitur: *quis gurges aut quae flumina lugubris ignara belli?* (nam *quis* necessario scribendum esse Tu ita evicisti ut dubitari non possit**). Habet autem sic etiam lemma Acronis (ed. Bas. 1545). *Gurges* autem quamquam per se incertae est significationis pariterque fluminis ac maris esse

*) Ebend. pag. 631. „Vollkommen angemessen ist der Gedanke und geschmackvoll seine Ausführung in der vorhergehenden Strophe: *Quis non Latino — ruinae?* wo mit der Steigerung *auditumque* u. s. w. das vorangeschickte *quis non — testatur* kräftig abschliesst. Was soll man aber dazu sagen, wenn nun nochmals zu dem vor dieser Steigerung ausgedrückten Gedanken zurückgekehrt, dieser mit drei, sage drei jedes neuen Inhaltes baaren Variationen wiederholt wird und ohne analogen Abschluss ganz dünn also ausläuft: *Qui gurges — nostro?* In der That: Worte, Worte, nichts als Worte! Oder wo wäre auch nur die leiseste Nüance des Sinnes in diesen Zuthaten? Ist das nicht auf ein Haar wie in der metrischen Composition eines Primaners, der mehr epitheta, synonyma und phrases als Gedanken im Kopfe, dabei seinen treuen Gradus ad Parnassum in Händen hat? *Campus — flumina — mare — ora; inpia proelia — lugubris belli; non testatur — ignara — caret; Latino sanguine — Dauniae caedes — cruore nostro.* Und wie kahl und mager jedes einzelne Satzglied im Gegensatz zu der gedrängten Fülle der Originalstrophe? Aber freilich, in der ersten Strophe sollen es die Kämpfe zu Lande, in der zweiten die zu Wasser sein, die vorgeführt werden. Also zu Wasser. Nun man muss gestehen, dass das eine sehr scharfsinnige Unterscheidung ist, wonach das Wasser eingetheilt wird in 1) Strudel, 2) Flüsse, 3) Meere und 4) Küsten, sei es an sich, sei es mit Rücksicht auf die an verschiedenen Oertlichkeiten gelieferten Schlachten. Zuvörderst könnte nun ein Zweifelsüchtiger meinen, Schlachten an Strudeln und an oder auf Flüssen gehörten wohl mehr zu den Land- als zu den Seeschlachten; ferner aber die der *orae* ausschliesslich zu einer von beiden Klassen gar nicht, sondern mit gleichem Rechte zu beiden. Eben darum, werden vermuthlich die Bewunderer des Dichters quand même sagen, hat dieser sehr weise die *orae* ans Ende gestellt, um damit Land und Wasser in einem gemeinschaftlichen Begriff zusammenzufassen. Und, fragt man weiter, warum das Meer sowohl als die Küste jedes ein apartes Satzglied erhalten hat, *gurgites* und *flumina* trotz des trennenden *aut* nur eines zusammen, so wird es vielleicht heissen, vorher sei mit *campus* nur das Land ohne Wasser gemeint, wie z. B. africanische Wüsten, dann komme erst das bewässerte, fluss- und strudelreiche Land, und zwar dieses als vortrefflicher Uebergang zu dem reinen, landlosen Wasser. Wir erhielten so für den Gedankenfortschritt unseres Strophenpaares folgendes Begriffsschema: 1) Landland; 2) Wasserland und Landwasser, und zwar a) durch Strudel, b) durch Flüsse gebildet; 3) Wasserwasser; 4) Land + Wasser in freundlicher Grenznachbarschaft, in der wohl noch die Inseln, Halbinseln und Landzungen ein erwünschtes Unterkommen fänden."

**) Ebend. pag. 633. „Selten, dass sich ein Falschmünzer nicht wenigstens durch einen schiefstehenden oder zu viel oder zu wenig gesetzten Buchstaben verräth. Das pflegt auch von den litterarischen zu gelten, wenn sie es auch sine dolo malo und nur als harmlose Dilettanten sind, und vielleicht um so mehr. Es ist ja möglich, dass der glückliche Vater dieser Strophe *Quis gurges* schrieb, wie er als alter Horatius schreiben musste; aber verdächtig ist es doch, dass sich das nur in einer einzigen Handschrift gefunden hat. Denn dass *qui gurges* nichts sei, hätte man allerdings längst sehen sollen, mochte man es nun unter dem Gesichtspunkte, dass im Unterschiede von *quis* ein qui = *qualis* sei, beurtheilen oder es an dem Sprachgebrauche des hier in Betracht kommenden Litteraturkreises messen. Oder wo hätte Horaz anders als *quis* gesagt, sei es bei Personen wie *quis puer, quis — magus, quis — deus, quis exul*, ganz wie Virgil *quis deus, quis — hospes* u. s. w., oder

potest, hic tamen mare aut partem maris significari inde apparet, quod opposita sunt *flumina*. Non est quod exempla poetarum quae sexcenta sunt afferam. *Quis gurges* autem cum dicitur, loci epitheton quaeritur, ut apud Virgilium est *gurges Carpathius*, apud Ovidium *Iberus*, *Euboicus*, apud Silium Italicum *Sicanius*, ac propterea etiam in prosa oratione non *qui* sed *quis gurges* dicendum foret. Tum vero eadem interrogatio partitive repetitur, ut verbis *quis gurges lugubris ignarus belli?* respondeant haec: *quod mare Dauniae non decoloravere caedes?* verbis autem *quae flumina lugubris ignara belli?* haec: *quae caret ora cruore nostro?* Fluminum autem ostia intelligi, ergo oram, sponte apparet. Ceterum hic versus: *quae caret ora cruore nostro?* nescio an κακοφωνίας possit argui, nisi forte poeta de industria rem horridam sonis horridis exprimere voluit. Hoc igitur modo haec stropha simplici ratione defendi posse mihi videtur. Neque tamen eam laudatam volo, sed ferendam censeo.

Habes iam, Vir Clarissime, meam sententiam, quam Tibi me probaturum ne ipse quidem spero, idque eo minus, quia, ut verum fatear, mihi ipse parum placeo, neque ego intercedam, ne meliora Tu me doceas. Sed fortasse magis Tibi satisfaciam emendando loco desperato v. 21. Verba sunt:

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

In his verba audire — videor corrupta esse pauci nunc invenientur qui negent; quomodo emendanda sint, in diversa abeunt viri docti. Bentleius post Beroaldum *videre—videor* coniecit, eumque Linckerus secutus est, Peerlkampius *sudare — video*, quod Tu interim. dum melius quid repertum esset, adoptasti, Hanovius nuper *anteire — video*, quod ego quoque tentaveram, sed statim dimisi, alii fortasse aliter. Ut certum fundamentum emendationi ponatur, primo de sententia ipsa accuratius est quaerendum. In proxime antecedenti stropha:

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis auris, iam litui strepunt,
Iam fulgor armorum fugacis
Terret equos equitumque voltus,

vividam quandam et illustrem imaginem habemus victoris exercitus pugnam incipientis hostemque terrentis. Iam sive *audire* legitur, sive *anteire*, haec aut ipsa quoque ad initium proelii referenda sunt, aut ad mediam eius actionem; sin vero *sudare* scribitur, in mediam pugnam inducimur. Sed utravis ratione ante confectum certamen vasto quodam quasi hiatu traiecto legimus: *et cuncta terrarum subacta*. Quamobrem mihi necessarium videtur, ut vv. 21. 22. aut victoria aut clades significetur, quam omnium terrarum subactio sit consecuta. Haec autem: *non indecoro pulvere sordidos*, mihi dubium non esse videtur quin rectius ad victi exercitus duces referantur, quam ad victoris; aptissime enim illi postquam fortissime pugnantes restiterunt, tandem cadentes aut morientes dicentur *non indecoro pulvere sordidi*. Itaque nulla earum coniecturarum, quibus corrupta librorum scriptura adhuc tentata est mihi satisfecit; nisi quod Peerlkampii video quasi rectam emendandi viam ostendit; sed diu frustra ipse quoque medicinam circumspexi; nam talia: *ardore fractos* aut *audere lassos iam video duces*, etsi ad sensum satis apta, tamen litterarum ductibus nimis a libris discedunt. Nuper tandem repperisse mihi videor quod et sententiae satisfaceret nec nimis a vulgatae lectionis litteris abiret. Scribendum enim mihi videtur:

Adire manis iam video duces
Non indecoro pulvere sordidos.

---

auch bei Sachbegriffen, z. B. *quis — pudor aut modus*, *quis — modus*, *quis sudor*, und gleicherweise Virgil *quis — modus*, *quis — ludus*, *quis — furor*, *quis — locus*, *quis casus*, *quis dolor*, *quis sensus*, *quis globus*, *quis metus*, *quis clamor*, *quis strepitus*, *quis plangor* — durchaus ohne Ausnahmen. Und nun noch dazu nach dem vorausgegangenen *quis campus* ein *qui gurges*!"

Intelligendi sunt Pompeianorum duces qui aut in proelio occiderunt aut in fuga vel sua vel aliorum manu perierunt. Ita autem si legimus, rectissime statim sequuntur verba: *et cuncta terrarum subacta.* Eodem modo *adire manes* ut sit *mori* legitur Ovid. Met. XIII, 465:

Vos modo, ne stygios adeam non libera manes,
Este procul.

Haec igitur emendatio si Tibi probata fuerit, magnopere gaudebo.

Iam dicendum mihi est de Carm. I, 28, et quidem partim de tota huius carminis ratione, partim de quattuor versuum 17—20 interpolatione. Iam ante hos quattuordecim annos hos versus:

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac iuvenum densentur funera; nullum
Saeva caput Proserpina fugit,

ut ab Horatio non profectos uncinis incluseram, cum Peerlkampius vv. 19. 20. interpolatos dixisset; sed quia totius carminis ratio mihi quam maxime erat obscura neque habebam quomodo magnas quae inessent difficultates expedirem, eorum in scriptione illa mea scholastica mentionem feci nullam. Mansi in ea sententia etiam cum ante hos decem annos iterum Horatii carmina et primi quidem libri interpretans ad hoc pervenissem. Accidit tum, ut perlectis interpretum quos ad manum habebam commentariis lumine exstincto insomni nocte, quae me vexant plurimae, ut tempus fallerem, cum diversas hominum doctorum de personis colloquentibus sententias animo agitarem, tum periculum facerem, memoriane hoc carmen tenerem. Ac dum iterum iterumque repeto singulaque inter se comparo, subito mihi visus sum videre, quod novam lucem carmini afferret simulque et de personarum loquentium ratione et non modo de quattuor illorum versuum interpolatione, sed etiam de tota interpolationis apud Horatium ratione certius iudicandi faceret facultatem. Antistrophicae enim rationis indicia certa et manifesta apparere mihi videbantur. Qua re excitatus lumine iterum accenso hanc rem et statim persecutus sum, et proximo tempore multum ea me occupavit, consiliumque mihi erat proximae scriptioni scholasticae brevi commentatione sententiam meam viris doctis proponere. At ortae tum turbae publicae per unum et dimidium mensem institutionem scholasticam nobis interruperunt, neque aut examen publicum fuit aut programma prodiit, et mihi Horatius e manu, Archytas etiam ex animo excussus est. Ab illo enim inde tempore Horatiana studia mihi prorsus iacuerunt. Rem autem ipsam num illo tempore cum aliquo communicaverim nescio; Theodoro Schmidio Halberstadiae a. 1850 paucis verbis me dicere memini. Verum proximis ante iter Vratislaviense diebus etiam huius rei memoria mihi renovata est, et cum Tecum eam communicare Tuumque iudicium expetere vellem, denuo eam accuratius examinavi atque perpendi et Vratislaviae in familiari sermone quibusdam viris doctis proposui.

Ex omnibus Horatii carminibus vix ullum est de quo interpretum sententiae magis inter se discedant. Quaeritur unusne loquatur an duorum sit sermo; tum sive unus loquitur, quis ille sit, sive duo colloquuntur, quinam hi sint; deinde unde alterius oratio incipiat, utrum a v. 7, an a v. 21. Haec tantum certa sunt nec controversa, primis sex versibus Archytam compellari, v. 21 sqq. naufragi alicuius umbram loqui atque v. 23 sqq. nautam aliquem ab ea implorari ut corpus suum sepeliat. Quis vero sit naufragus ille, Archytasne an alius aliquis, pariter controversum est. Quae cum ita sint, cum doctissimorum et acutissimorum virorum studiis tantum absit ut res iam ad liquidum perducta esse videatur, ut aliae in dies paene sententiae proferantur, non potest dubitari, quin aut poetae haec sit culpa, siquidem carmen sibi ipsum esse pro commentario oportet, aut iniuriae carmini vel casu et scribarum errore vel de industria interpolatoris manu factae. Ac poeta ipse quidem si carmen tale quale nunc habemus fecerit, ne ea quidem

excusatione satis defendatur, quod, in quo omnes consentiunt, hoc carmen priori eius aetati est attribuendum. Verum tamen spero fore ut non Horatium culpandum esse appareat.

Iam primum diversas virorum doctorum sententias paucis examinemus. Ac maxime quidem pervulgata et a plerisque antiquiorum tradita est haec ratio, ut primi sex versus essent nautae, reliqui Archytae; Torrentius, Buttmannus, alii, Archytae orationem a v. 21. incipere volunt. Utrique igitur Archytam esse illum naufragum consentiunt. Itaque ut de hac re primum dicam, nauta cum non in terra esset, sed navi sua veheretur (cfr. 35. 36.) — quid enim causae erat, cur illo loco, ubi nec portus nec emporium ullum esset, in terram exscenderet? — quomodo praetervehens e longinquo poterat agnoscere cuiusnam corpus esset et sic Archytam alloqui? Deinde quod cum alii monuerunt, tum Meinekius (Philolog. V. 1. p. 171. a. 1850), Archytam esse vetant verba *te — cohibent pulveris exigui — munera*, quae non sepultura carentem indicant, sed humatum exiguo terrae spatio inclusum. Tum mirum sane est, quod nauta, praesertim cum Tarentinum esse probabile sit, ne verbo quidem civem tam illustrem ac de civitate sua tam bene meritum miseratur. Praeterea si Archytas ille esset, hic v. 21. non dicere poterat *me quoque*, quae quidem causa Peerlkampium, qui totum carmen Archytae orationem esse putat, movit ut vv. 19. 20. eiiciendos censeret, scilicet ut illa necterentur cum his verbis: *exitio est avidum mare nautis.* Sed de vv. 17—20. post videbimus. Accedit quod naufragio eiecti corpus non prope litus esse dicendum esset, sed in litore; recte vero Archytae sepulcrum esse prope litus dicitur. Iam qui Archytae orationem inde a v. 7. incipere volunt, etiam gravius peccant. Tantali, Tithoni, Minois, Pythagorae exempla ab Archyta dicunt afferri, ut moriendi necessitatem esse doceat, ergo etiam sibi fuisse moriendum. At num nauta de hac necessitate dubitabat, ut docendus esset? Quid tam longa oratione opus erat? Cur non statim id agit ut, quod quam celerrime fieri optare eum necesse est, sepulturam petat? At exempla illa Archytas affert, ut etiam alios quamvis magnos et sive genere, sive pulchritudine, sive sapientia, sive doctrina excellentes viros mortuos esse doceat eorumque exemplis se quasi consoletur. Verum enimvero equidem valde vereor, ne Archytas tum vel arrogantiae possit accusari, qui cum heroibus et a Iove originem ducentibus viris se comparet, vel levitatis, cum de Pythagora ipse Pythagoreus ita loquatur, ut si eum irridere velit; de qua irrisione infra pluribus dicetur. Maxime vero etiam hoc falsam illam esse rationem demonstrat, quod Archytas ineptissime v. 14. diceret:

Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique,

ad nautae quamvis non plane indocti provocans iudicium, cui incommodo ut mederentur, quidam *me* pro *te* scribendum rati etiam maius vitium intulerunt. Rectius igitur ii qui nautae orationem usque ad v. 20 pertinere censent Archytae reliquos versus tribuunt, in hoc tamen errantes, quod Archytam illum esse opinantur. Sed tamen fuit, cur tot viri docti orationem naufragi sive Archytae, sive alius alicuius a v. 7. inciperent. Nam ut nunc poetae verba leguntur, haec:

Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum, cett.

non ita sunt comparata, ut apte cum iis quae praecedunt connexa esse videantur; sed quoquo modo carmen institutum esse putaveris, haereas illic necesse est. Latet enim hic vitium quod unius litterae mutatione sustulisse mihi videor.

Iam dicendum est de eorum rationibus qui totam huius carminis orationem uni tribuunt. Atque hic primo loco commemorandi sunt veteres interpretes, Acron et Porphyrio, qui haec tradunt: *Inducitur corpus naufragi Archytae Tarentini ad litus expulsum conqueri de iniuria sua et a praetereuntibus petere sepulturam.* Similiter commentator Cruquianus: *Haec ode ἐκ τῆς προσωποποιίας inducit corpus naufragi Archytae ad litus expulsum conqueri cum nauta praetereunte de iniuria, nisi ab eo sepeliatur.* Quam rationem adoptavit Peerlkampius, simul de pronomine *te* v. 1., quod illi rationi adversari videri potest, monens.

Iacet Archytas, inquit, *in litore iam leviter arena tectus*, *quam nonnulli praetereuntes ex religiosa consuetudine in ignotum cadaver proiecerant.* (Unde hoc cognovit vir doctissimus? Si ex vv. 1—3. non recte intellectis, non plus quam iam habet Archytas rogat vv. 23—25 et 36.) *Praeterit novus nauta*, *qui festinans officium humanitatis neglecturus esse videbatur*, *et praeterit tum*, *cum Archytas secum loqui desierat dicens:* Me quoque devexi rapidus comes Orionis Illyricis notus obruit undis. *Ibi forma orationis mutata est: et dixit* Me quoque *pro* Te quoque, *quod hic fuisset obscurum*, *quia statim ad nautam convertitur. Atque ea orationis mutatio propria est*, *quum nobiscum sive cum animo nostro loquimur.* Sed de hac ratione breves esse possumus; admitti ea nullo modo potest, quia, ut supra demonstravimus, Archytas non est ille naufragus qui sepulturam petit. Quae autem praeterea sunt inconvenientia, magna ex parte communia sunt cum ea ratione de qua iam dicendum mihi erit.

Plurimorum assensum recentissimo tempore tulisse videtur ea sententia, qua totum carmen oratio putatur esse naufragi alicuius umbrae primum ad Archytam cuius sepulcrum prope sit, tum inde a v. 23. ad nautam aliquem casu praetervehentem. Primus eius sententiae auctor, quod sciam, Weiskius est. Mihi ea plane fuit incognita, primumque nuper Vratislaviae de ea fando audivi. Nam Weiskii disputationem in Iahnii Annalibus a. 1830 propositam ego non legi neque eius copiam mihi facere potui. Postea Meinekium et Linckerum vidi ei accedere. Etiam recentissimorum Horatii editorum quidam eam rationem sequitur, sed tot tantisque prodigiis ac portentis eam adornavit, quae procurare non meum esse ducam. — Habet illa ratio id boni, quod Archytam non eum esse vidit qui sepulturam petat, sed laborat aliis neque paucis incommodis. Habemus naufragum aliquem modo in litus eiectum, insepultum, cui nihil magis curae esse possit quam ut sepeliatur. Iam quomodo fieri putemus, ut cum casu Archytae eodem loco olim eiecti sepulcrum prope adsit, hunc et hoc quidem modo alloquatur? An ut tempus fallat quod longum ei videtur? Audio, et Archytam eadem olim calamitate affectum concedo apte compellari; etiam hoc intelligo, sic verba *me quoque* recte dici. At primum equidem tamen vellem Archytam naufragio perisse verbis expressum esse, etsi fortasse inde id potest colligi, quod non Tarenti, sed loco plus XX. mill. Germ. distanti prope litus Matinum sepultus est. Tum tota ad Archytam oratio talis est, quae naufrago parum conveniat. Quid enim potest ab eo alienius esse quam irridere et irridere eum qui eodem quo ipse casu perierit? Cum irrisione autem certe quae de Pythagora dicta sunt dicta esse mihi quidem tam exploratum est, ut nihil magis esse possit. Tum quid sibi volunt exempla Tantali, Tithoni, Minois, Pythagorae? Archytam plus trecentis annis ante mortuum non potest iis consolari velle; moriendi autem necessitatem cum ipse iam expertus sit, ipsi nec argumentis nec exemplis opus est, neque sibi illa dicit, sed Archytae. Deinde quisnam est ille naufragus? Nihil dictum est unde de persona eius coniecturam facere possimus, nisi quod utique ex v. 29. Tarentinum esse effici potest. Unde igitur Archytae et sepulcri eius notitia? unde illa quam prae se fert doctrina? Fuerit Tarentinus, fuerit homo eruditus: at hoc aliquo modo significandum erat, ut orationem eius personae convenire intelligeremus. Ut nunc est, ex eo tantum quod ille ea dicit colligere debemus recte et apte hoc fieri. Postremo poeta tum ipsum verba eum facientem induceret, cum casu, dum diceret, nauta appropinquaret, quem ut se sepeliret rogare posset. At vero casuine hic locus erat? Non puto equidem. Quid si nauta non venisset? Quem exitum orationem tum habituram censeamus? quam longam futuram? Frustra et nullo consilio tota oratio foret dicta. — Augentur autem haec incommoda, non minuuntur, si, ut quibusdam videri audivi, Horatius, qui post pugnam Philippensem ex Graecia rediens naufragii periculum subierit (at hoc non ad Matinum litus, sed prope Palinurum promontorium in infero mari (Carm. III. 4, 28.) factum est), semet ipsum fingat naufragum et illam orationem habentem, praeterquam quod de doctrina eius sane non possumus dubitare neque irrisio Pythagorae ab eius persona fuerit aliena. At quo consilio hoc finxerit poeta? Et quae tandem ista condicio est naufragi non naufragi, mortui non mortui, sepulturam impense orantis nec egentis ea, nec volentis vivum se humari? Quodsi haec recte disputata sunt, *μονόλογος* ratio nullo pacto poterit admitti.

Itaque ut tandem quid ego sentiam proferam, necessario duarum personarum sermonem esse statuendum mihi videtur et quidem nautae ad Archytam, naufragi alicuius ad nautam. Sed priusquam hoc pluribns exponam, de antistrophica carminis ratione quam, ut supra dixi, mihi repperisse videor ac de quattuor versuum 17—20. interpolatione dicendum puto. Nam illam si probavero, et hos versus, quamquam etiam aliis argumentis damnantur, sponte apparebit non posse ab Horatio profectos esse, et nautae orationem ad v. 16. usque pertinere, reliquos autem versus naufragi esse evincetur. Atque etiam Meinekio me spero satisfacturum, qui in Philologo l. l. rectissime plerorumque rationem gravi reprehensione notavit, cuius verba infra in annotatione subieci.*)

Iam Buttmannus**) recte viderat Horatium ipsum pronominum TE v. 1. et ME v. 21. positione carmen duarum partium esse significare voluisse. Cuius disputationem cum primum legerem, nisi memoria me fallit, a. 1836., iam tum miratus sum, quod hae duae partes non essent aequales, sed prior viginti, altera sedecim versuum; sed quia tum Horatium non tractabam, facile eam curam dimisi. Verum ante hos quattuordecim annos cum carminum libros eo consilio legerem, ut quae aut spuria aut suspecta mihi viderentur notarem, versibus 17—20, qui de pluribus causis subditicii mihi videbantur, eiectis aequalitas illa mihi restituta est. Supererant tamen etiamtum, quae dubium me facerent de alterius partis persona, quam Archytae esse non posse *quoque* particula v. 21. demonstrare videbatur. Praeterea haerebam etiam v. 7., quod verba *occidit et Pelopis genitor* cett. cum praecedenti oratione male aut omnino non cohaererent. Sed tum haec non ita persecutus sum inquirendo, ut illas mihi difficultates tollerem. Tandem quattuor annis post cum, ut supra dixi, antistrophicae carminis rationis etiam alia certaque indicia repperissem, contigit mihi ut priorem dubitationem dirimerem; alteram nuper demum sustulisse mihi videor.

Tragicos Graecorum poetas constat in antistrophicis carminibus, quo antistrophica ratio magis ad aures accideret, saepe magna cura et arte rem ita instituisse, ut aut iidem aut similes verborum soni iisdem utriusque partis locis audirentur, eodemque plerumque etiam enuntiationum, membrorum, interpunctionis aequalitatem accedere, unde non raro certissimum corruptis locis emendandis adiumentum peti potest. Idem magna ex parte ab Horatio factum videmus in egregio illo carmine amoebaeo III. 9. Simile

*) „Was die Auffassung der eben berührten Ode im Allgemeinen betrifft, so ist bekanntlich in jüngster Zeit die dialogische Form des Gedichts in umfangreichen Abhandlungen von neuem eifrigst behauptet worden. Ohne mich auf eine Widerlegung dieser Ansicht in allen ihren unlogischen Streif- und Querzügen einzulassen, will ich an ihre Vertreter nur die Frage richten, wie sie den Dichter gegen den Vorwurf einer durch und durch unkünstlerischen, aller Concinnität ermangelnden Composition in Schutz nehmen wollen? Wie Horaz die dialogische Form einer Ode behandelt, hat er im neunten Gedicht des dritten Buchs gezeigt. Wie will man es ferner mit den Gesetzen einer vernünftigen Interpretation vereinigen, wenn die Worte *pulveris exigui cohibent te munera* den Sinn haben sollten, Archytas liege hier unbeerdigt, und nicht vielmehr den, dass Archytas, der mit seinem Geist die Welt umfasst habe, jetzt auf den Raum eines winzigen Grabes beschränkt sei? Die Unhaltbarkeit jener Erklärung zeigen ja deutlich genug die folgenden Beispiele von der unabwendbaren Nothwendigkeit des Todes. Und nun gar das *te iudice* im Munde des Archytas! Wer sich so auf das Urtheil eines Andern beruft, wie hier Archytas thun würde, der kann das nur, wenn dieser Andere, wie hier der Schiffer, sein Urtheil über die Sache, um die es sich handelt, also hier über die Weisheit des Pythagoras, wirklich ausgesprochen hat. Und das hatte Archytas in seinen Schriften gethan. Die Erklärung, „wie selbst du, ein ungebildeter Schiffer, zugeben wirst", ist durchaus willkührlich und verleiht dem Ausdruck eine Färbung, die mit dem Gebrauch unvereinbar ist. Mit einem Wort, es ist kein Verstand in dem ganzen Gedicht, wenn es nicht von Anfang bis zu Ende von einer und derselben Person gesprochen gedacht wird. Das war sicher auch Bentley's Ansicht, der die entgegengesetzte Meinung zu widerlegen nicht einmal der Mühe werth hielt."

**) Buttmann Mythologus II. p. 370. „Den vorzüglichen Herausgeber Torrentius lehrte der Eindruck des Ganzen, dass das Gedicht in zwei Hälften zerfalle. Noch hat aber, so viel ich weiss, niemand auf den deutlichen Fingerzeig des Dichters, dass dies so sei, aufmerksam gemacht, welcher in der Abfassung liegt:

v. 1. *TE maris et terrae* —

v. 21. *ME quoque* —."

vero, quamquam minus perfectum eius rei exemplum habemus in eo carmine de quo nunc quaerimus. Respondent sibi primum, quod Buttmannus vidit, *TE* v. 1. et *ME* v. 21., tum vero etiam v. 9 et 29, ergo altera strophae et antistrophae parte dimidia incipiente iisdem versuum locis *IOVis* et *IOVe*, *TArENTi* et *hAbENTque*,

v. 9. Et *IOV*is arcanis Minos admissus, h*A*b*ENT*que,
v. 29. Ab *IOV*e Neptunoque sacri custode T*A*r*ENT*i,

quod casu esse factum, non consilio institutum equidem mihi non possum persuadere. Ut etiam *TE* v. 14 et 34, cum non eundem locum in versibus sibi respondentibus hoc pronomen habeat, et v. 16. *SEMEL*, v. 36. *TER*, numeralia adverbia, quae eandem fere sedem tenent, eodem referantur, equidem nolim auctor esse, certe in dubio relinquo. Imperfecta tamen illa ratio est eo, quod neque incisa utriusque partis sunt eadem, neque interpunctio. Sed esse illam responsionem confirmatur eo, quod sententiae utriusque partis, ut infra pluribus demonstrabo, maximam partem sibi respondent.

Quod si ita se habet, necessario sequitur ut versibus 17—20, quae antistrophicam rationem turbant ac tollunt, cum de mesodo ne cogitari quidem possit, locus in hoc carmine relinquatur nullus, neque ab Horatio hic positi esse putari possint. Accedit quod etiam misso hoc argumento alienos eos esse multa probant, et primo quidem si sententiam spectamus. Nam postquam inde a v. 7. exemplis demonstratum est omnibus moriendum esse, verbis *sed omnes una manet nox et calcanda semel via leti*, plane absoluta est oratio, ut nihil amplius desideretur. Sin vero docendum erat, alios alia morte perire, cur bellum et mare potissimum afferuntur? Nonne multo plures neque hoc neque illo moriuntur? At maris propter Archytam fit mentio. Audio: at quid bellum sibi vult, cum neque Tantalus, neque Tithonus, neque Minos, neque Pythagoras in bello perierit? Nec melior ratio est verborum: *mixta senum ac iuvenum densentur funera*, quae memoriam revocant Homericorum illorum Il. *α*, 383: *οἱ δέ νυ λαοὶ θνῆσκον ἐπασσύτεροι*, et Sophoclis Oed. Reg. v. 175: *ἄλλον δ' ἂν ἄλλῳ προσίδοις — ὄρμενον ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ*, ut de lue aut simili calamitate cogitemus. Sed ut illa non sint *ὑπερβολικῶς* dicta, certe nihil neque ad Archytam neque ad causam. Aurea tamen quae adhuc ut aliena reprehendi sunt prae iis quae sequuntur: *nullum saeva caput Proserpina fugit*, in quibus nihil inest quod non modo v. 15. multo simplicius dictum sit: *omnes una manet nox*. Ecquis igitur inanem istam repetitionem probaverit? Itaque ut hi quattuor versus si per se soli ponantur, fortasse non sunt reprehendendi atque in aptam sententiam exeunt, sic praecedentibus versibus nexi ineptissimi sunt. Neque vero his solis laborant vitiis; nam ne color quidem orationis aut iis quae praecedunt aut iis quae sequuntur convenit. Nam cum ceteri carminis oratio simplicitate excellat egregia, tumidior est quattuor illorum versuum dictio, maxime primae sententiae: *dant alios Furiae torvo spectacula Marti*, et ultimae: *nullum saeva caput Proserpina fugit*. Praeterea cum in sedecim praecedentibus versibus oratio continuo ac perpetuo flumine procedat omniaque artissime iuncta ac nexa sint, in his quattuor versibus, qui orationem illam continuare velle videantur, subito in asyndeta brevesque sententias incurrimus. Et quamquam etiam inde a v. 21. asyndeta habemus, tamen longe alia horum est ratio, de qua infra pluribus disputabitur.

Quoniam igitur nec Archytam esse cuius umbra sepulturam oret demonstratum est, nec unius esse personae totum carmen, sed duarum, quarum oratio antistrophica sit eoque aequalem esse necesse sit, iam docendum mihi est quaenam personae colloquantur. Atque de hac re idem quod ego sensit vir doctus quidam, Baiteri amicus, ut nuper ex minore editione Orelliana quae a. 1851 prodiit intellexi.

Nauta quidam, i. e. mercator sua nave vehens, eoque, quae erat eiusmodi hominum condicio, satis eruditus et litteratus, Tarentinus (nam hoc docet vel v. 29, vel Archytae cognitio), paullo post vehementem procellam (vv. 21. 22.) Apuliae oram legens litusque Matinum praetervehens Archytae olim eo loco naufragio eiecti sepulcrum conspicatus illum alloquitur vv. 1—16. In ipso autem litore naufragi illa tem-

pestate eiecti iacet corpus, cuius umbra nautam inde a v. 23. implorat ut corpus suum sepeliat. Quis naufragus ille sit, nisi quod e v 29. colligi potest et ipsum esse Tarentinum, cum Tarenti custodem Neptunum imploret ut sepulturae suae praemium persolvat, incertum est. Praeclare autem utriusque personae ingenium descriptum est. Nauta, ut Tarentinus et homo non indoctus, Archytae sepulcro conspecto memoria clarissimi viri et civis movetur quidem, sed idem ut mercator soli quaestui ac lucro addictus, altiora ingenii studia tanquam parum utilia prae divitiis aliisque rebus externis contemnens, non egregii olim civitatis Tarentinae administratoris et imperatoris (quod tamen minus mirandum est, cum iam per ducentos quinquaginta fere annos Tarentini a Romanis victi libertate amissa horum imperio subiecti essent et Archytae de republica merita Tarentinis iam diu in oblivione iacerent), sed mathematici, astronomi ac philosophi meminit, quem altissima ingenio petentem sublimia illa studia tamen moriendi necessitate liberare non potuerint, non magis quam Tantalum, Tithonum, Minoem summa generis a Iove oriundi nobilitas, ac praeterea Tantalum deorum consuetudo, Tithonum propter pulcritudinem in coelum sublatum Aurorae coniugium, Minoem propter sapientiam intima Iovis familiaritas mori prohibuerit, aut Pythagoram summa sapientia et doctrina excellentem id, quod iam semel mortem se effugisse testatus sit; omnibus enim hominibus nullo discrimine moriendum esse. Haec autem ita ille profert, ut pro aetatis illius ingenio et religione et superstitione liberum admodum eum esse appareat. Nam illas de Tantalo, Tithono, Minoe fabulas pro meris fabulis ab eo haberi id mihi videtur demonstrare, quod Pythagoram eiusque de priore olim sua vita commentum, Troiano bello Euphorbum se fuisse, irridet evidentissime; id quod vel eo probatur, quod *Panthoiden* eum appellat. Irridentis est etiam, quod eum dicit *nihil ultra nervos atque cutem morti concessisse.* Summa autem irrisionis cernitur v. 14. in verbis *iudice te non sordidus auctor naturae verique,* quibus non Pythagoram modo cavillatur, sed simul etiam Archytam ipsum, qui illum tam ridicula commentum *naturae verique* non sordidum auctorem iudicaverit, quo simul Archytae sapientia et doctrina in suspicionem vocatur. Ac Tithonum quidem, quem poetae veterumque opinio immortalitate donatum non esse mortuum perhibebat, sed aut *longa minui senectute* (Hor. Carm. II. 16, 30.) aut in cicadam mutatum, nauta cum mortuum dicit, fabulis istis fidem se non habere manifesto declarat. Tantalum vero cum Pelopis genitorem vocat, nescio an illam de Pelope a patre mactato disque in convivio apposito fabulam, quam Pindarus Ol. I. refellere studet, significaverit simulque ut ridiculas et turpes istiusmodi narrationes notare voluerit. Talem igitur Horatius nautam descripsit. Sed latere in eius verbis v. 7. vitium iam supra pag. 8. significavi, maleque cohaerentem orationem causam fuisse, cur plerique nautae sermonem v. 6. exire opinarentur. Tolletur autem hoc vitium artissimusque orationis nexus restituetur, si maxima post *morituro* v. 6. interpunctione sublata v. 7. pro *et* scribitur *ut:*

nec quidquam tibi prodest
Aetherias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro,
Occidit *ut* Pelopis genitor cett.

Eandem post verbum sedem habet haec particula Carm. I. 37, 20., IV. 13, 26., Epod. 16, 31., Sat. I. 1, 26., 3, 28. alibi, et comparative quidem Sat. I. 3, 114. Itaque ut ipse nauta tranquillo mari placido aequalique cursu vehitur, sic oratio eius uno et continuo quasi flumine tranquille et aequaliter usque ad exitum procedit; omnia artissime iuncta et connexa sunt, nusquam asyndeton deprehenditur.

Longe alia maximeque diversa oratio est naufragi. Vehemens ea est, graviter urgens, concisa omniumque ambagum expers, asyndetis in posteriore parte (vv. 30. 33. 35.) abundans. Haec si vere dixi, sua sponte apparet non posse eiusdem esse verba qui praecedentia dixerit. Ac primo naufragus nautae animum in se convertit vocans eum ac docens quae sua sit condicio. Atque, ut hoc quasi praeteriens moneam, ex eo quod *me quoque* dicit, ex hac sola particula *quoque* recte colligere possumus Archytam

olim naufragio perisse, cuius rei alius testis auctorve nullus extat, quam neque Diogenes Laertius neque Suidas memoriae prodidit. Iam nautam obsecrat ut corpus suum sepeliat; quod si fecerit, summa ei praemia a Iove Neptunoque optat; sin minus, gravissimas poenas vel ipsi vel posteris eius imprecatur certissime consecuturas; ac ne forte cursus festinationem excuset, operam dicit esse brevissimam. Ex eo vero, quod Tarenti custos Neptunus invocatur, verisimillimum atque adeo certum est Tarentinum esse nautam, id quod ex insigni navis perspici poterat; etiam naufragum esse certe probabile est; quod si ita se habet, tanto iustius ille civis et popularis sui implorat auxilium.

Postremo mihi reliquum est, ut quanta utriusque orationis partium sit aequalitas declarem, quo quod Meinekius iure meritoque in vulgari ratione desiderat, id adesse et apparere demonstrem. Ac primi quidem duo versus in utraque oratione docent quae sit persona priore loco eius qui compelletur, altero loquentis. Tum utrobique de sepultura sermo est et quidem vv. 2—4: *cohibent — munera* sepultum esse Archytam docent, vv. 23—25: *at tu — dare*, sepeliri se velle naufragum; in quo tamen non eadem cernitur aequalitas quam apud Graecos poetas plerumque videmus; in tertio tamen versu utroque loco cardo rei est. Tum nautae lenius irridenti orationi vv. 4—9: *nec quidquam — admissus*, respondet naufragi mercedis optatio vv. 25—29: *sic quodcumque — Tarenti;* deinde irrisionis nautae quasi fastigio vv. 9—15: *habentque — verique*, respondet gravissima vehementissimaque naufragi imprecatio vv. 20—34: *neglegis — persolvent*, in quibus nautae oratio uno verbo prius incipit et duobus longius producitur; sed vv. 10—14, vv. 30—34, qui sibi respondent, toti in sua re utrobique versantur. Iam utroque loco clausula sequitur praecedenti utriusque sermoni conveniens. — Sic igitur formam carminis esse egregiam Horatioque dignissimam mihi videor ex ipsius poetae verbis evidenter demonstravisse. Sed quamquam duarum personarum esse orationem probatum est, tamen, si a poetica carminis forma discedimus, non male totum unius sermonem esse dicere possumus. Nam quidquid naufragus loquitur, si rem veram quaerimus, nautae ipsius animi gravis est admonitio: dum naufragi corpus conspicit vv. 21. 22., meminit sanctum illud insepulti corporis humandi officium vv. 23—25: *at tu — dare;* quo facto sperat fore ut a dis praemium sibi obtingat vv. 25—29: *sic quodcunque — Tarenti;* sin contra, gravissimas poenas timet vv. 30—34; ceterum facilem brevisque morae esse operam, ut nullum sibi incommodum inde oriatur, vv. 35. 36. Sic praeclare nautae levitati religionisque contemptui opponitur etiamtum in animo eius penitus insita religio et humanitas; nam nullo pacto dubitari poterit, quin corpus illud humaturus sit. Itaque levitatem illam prae se fert potius, sicut multi homines faciunt; occasione oblata officioque flagitante melior animus ac natura apparet atque elucet.

Iam quo clarius haec mea ratio cernatur, carmen ipsum dabo ita ut utriusque personae oratio ex adverso posita spectetur.

»*TE* maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera,« »nec quidquam tibi prodest
Aetherias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro,
Occidit ut Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras
Et *IOV*is arcanis Minos admissus,« »h*AbENT*que
Tartara Panthoiden iterum orco

»*ME* quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare:« »sic quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces
Unde potest tibi defluat aequo
Ab *IOV*e Neptunoque sacri custode T*ArENT*i.«
»Neglegis immeritis nocituram

Demissum, quamvis clipeo Troiana refixo
Tempora testatus nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae,
Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique.« »Sed omnis una manet nox
Et calcanda semel via leti.«
Postmodo te natis fraudem committere? forsit
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.«
»Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter pulvere curras.«

Alio autem abibunt versus 17—20:

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac iuvenum densentur funera; nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

V. 5. cum Meinekio dedi *aetherias*, quod ille necessario requiri clare demonstravit, pro *aërias;* v. 6 extr. punctum in comma mutavi et v. 7. *et* in *ut*; denique v. 31. cum quibusdam libris pro *fors et* scripsi *forsit*, quod etiam alibi saepius in illud abiit; nam mihi quidem *et* non suo loco positum videtur; rectius ante *te maneant ipsum* collocaretur, quod tamen fieri non potest. Ceterum v. 24 si hiatus ferri nequeat, scribendum fortasse *ossibus his capitique inhumato.* Post *—bus* facile *his* errore excidere potuit, quo facto ut versus restitueretur, *et* insertum, *que* omissum est.

Ceterum si recte de hoc carmine disputavi et iudicavi atque versus 17—20. spurios esse ita demonstratum et evictum est, ut dubitationi locus nullus relinquatur, sponte apparet quanti hoc sit momenti ad totam de interpolatis apud Horatium locis quaestionem diiudicandam. Nam cum in ceteris carminibus ii qui negant quidquam interpolatum esse ac nihil non defendunt vimque atque iniuriam Horatio impiam nefariamque fieri clamant, non sine aliqua veri iurisque specie adversariis libidinem quandam et arbitrarium iudicium crimini dare possint, quia non externis, sed internis maxime argumentis hi niti possunt: in hoc carmine Horatio ipso utimur iudice: ipse ipsius carminis forma ac ratione quattuor istos versus a se abiudicat atque condemnat. Iam vero si vel hoc carmen, in quo interpolatori omnis plane aditus interclusus videretur, tamen non est relictum intentatum, quid in iis carminibus quae non ab eiusmodi conatu defensa essent et potuisse fieri et factum esse censeamus? Verum tamen in hoc genere rectum modum servandum, summa cura atque cautione utendum atque ab omni libidine cavendum esse nemo erit qui non concedat.

Postremo etiam hoc apparebit, in hoc carmine cum stropham et antistropham habeamus, quaternorum versuum strophis a Meinekio introductis locum esse nullum, quae vel interpunctionis ratione arcentur; nam praeter exitus orationis nusquam post quaternos versus sententiam conclusam videmus ac terminatam.

Habes iam, Vir Clarissime, meum de hoc carmine iudicium; iam Te decernere velim, verumne viderim an erraverim. Deinde noli mirari quod multorum virorum doctorum rationes ac sententias non commemoraverim. Scito mihi praeter Henricopetrinam a. 1545., Bentleium, Ianium, Peerlkampium, Meinekium nihil omnino subsidiorum ad manum esse, nec me plus habere voluisse, partim ne longior esse cogerer (et iam sic longior fui quam cogitaveram), partim ut hebetissimis meis oculis parcerem, qui omni paene me lucubratione prohibent omninoque studia mea magno saepe dolore meo coartant ingratum mihi atque molestum otium imponentes. Quam ob rem omissa aliorum, etiam eorum quorum disputationes legi, ut nuper Rührmundi, mentione Horatii tantum verba quantum possem artissime premenda putavi, sed ex his quidquid inesse mihi videretur exprimendum. Quae opella mea ut a Te aliisque viris intelligentibus ne improbetur etiam atque etiam opto. Tu igitur et hanc disputationem boni consulas et quae de aliquot Aeschyli Supplicum et Sophoclis locis commentationes subiicientur aequo animo accipias. Sed prius quam

finem faciam scribendi, addenda mihi sunt pauca de carm. II. 1. Video enim p. 4. non satis Tibi me respondisse ad eam quaestionem, qua lege *Musa* pro *tua Musa* dictum sit. Cum oratio ad Pollionem et ante verba *paullum — theatris* et post conversa sit; si *paullum Musa tragoediae desit theatris* idem esse potest quod *paullisper tragoediae ne scribantur*, haec inter ea quae praecedunt et quae sequuntur interposita significare possunt, *tragoediae a te ne scribantur*; ergo *Musa tragoediae desit theatris* dici poterat pro *tua Musa* cett. Certe mihi ita videtur. — Vale. Posnaniae Idibus Februariis MDCCCLVIII.

DE

ALIQUOT LOCIS AESCHYLI SUPPLICUM

ET

SOPHOCLIS TRAGOEDIARUM.

Godofredi Hermanni Aeschylo, postquam per novem lustra a viris doctis acerrime exspectatus fuerat, tandem sexto abhinc anno post mortem demum viri summi in lucem edito quantum omnium summi illius poetae studiosorum atque admiratorum excitatum sit gaudium, nemo ignorat. Et quamquam immortalis viro memoriae non contigerat ut summam ipse manum operi suo imponeret, tamen eo Aeschyli tragoediarum emendatio potissimum tantum profecit, quantum vix tribus ante saeculis, ut magnam partem nunc tandem copia nobis facta videatur poetae legendi atque intelligendi. Quod verum esse vel eo maxime comprobatur, quod inde ab eo tempore, quo novus ille Aeschylus prodiit, tot tantaque virorum doctissimorum studia ad Aeschylum vel emendandum vel explicandum concurrerunt, quot quantaque antea nunquam exstiterunt. Sed minus quam in aliis fabulis id factum est in Supplicibus. Ac sane cum hanc unam fabulam Hermannus ipse iam plane absolvisset, minus operae posteris reliquisse videri potest. Namque in hac corruptissima omnium eaque de causa difficillima tragoedia singularis summi viri sagacitas vel maxime eluxit et quasi triumphavit: tot enim locos desperatissimos, ubi non verba ac sententias, sed miseras tantum verborum ac litterarum pannos et lacinias, quibus quid faceres nescires, libri tradidissent, tanto ingenii acumine, tam feliciter enodavit egregiasque sententias exprompsit, ut satis tantum ingenium non possimus admirari. Reliqua tamen etiam nunc esse quae emendanda sint, alia minus recte ac feliciter ab Hermanno tentata esse, nemini mirum videbitur, qui non unum omnia posse cogitaverit ac librorum miseram condicionem reputaverit. Itaque veniam mihi datum iri spero, quod nunc aliquot huius fabulae locos aliter atque Hermannus scribendos ratus meam eorum emendationem proposui. Accuratioris autem lectionis huius fabulae tria potissimum mihi tempora fuerunt, primae a. 1821, quo tempore solo Schuetziano exemplo utens tamen quaedam rectius constitui (ut v. 347. ex scholiastae interpretatione *οὐ πενεῖ*), alterius a. 1836., quo tempora multa coniectavi quae ex parte etiam nunc vera mihi videntur, tertiae sexto abhinc anno, cum Hermanni Aeschylus hoc studium denuo movisset. Atque haec quidem lectio ut iucundissimam mihi revocat memoriam, ita tristissimam movet recordationem Aug. Schoenbornii, summa plurimarum optimarum artium scientia ac singulari modestia, fide, veritate, officio, gravitate, fortitudine, constantia, mihi per triginta paene duo annos muneris communione et amicitiae vinculo coniunctissimi, quem paucos ante

menses nobis ereptum gravissime lugemus. Cum hoc per hiemem a. 1852/3. Aeschyli lectionem institueram utrique nostrum iucundissimam, ac tum quidem Supplices, Prometheum, Persas absolvimus. Quo minus vero reliquas etiam fabulas postero tempore legeremus, intercessit Schoenbornio morbus ille funestus quo post aliquot annos absumptus est. — Itaque diversorum temporum sunt quae iam proferam, pleraque tamen Hermanni operae cognoscendae atque examinandae studio debentur.

AESCHYLI SUPPL. v. 53.: *γνώσεται δὲ λόγους τις ἐν μάκει.* Haec quamquam intelligi possunt, cum *λόγους* ad verba *γονέων* (sic scholiasta duce Hermannus; libri *τά τε νῦν,* ad quae propius accedet *τοκέων*) *ἐπιδείξω πιστὰ τεκμήρια* referri possit, mihi tamen *λόγους* satis otiosum videtur. Itaque scribendum mihi visum est: *γνώσεται δὲ λόγου τις ἐν μάκει,* int. *τὰ πιστὰ τεκμήρια,* eamque coniecturam schol. confirmat: *προϊόντος τοῦ λόγου,* quae cum vulgata scriptura non conveniunt.

V. 56 sqq.: *δοξάσει τις ἀκούειν ὄπα τᾶς Τηρείας*
μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου,
κιρκηλάτας ἀηδόνος.

Hermannus: *Recte scholiastes Τηρείας μήτιδος pro ipso Tereo dictum accepit. Contortum et perversum est quod quidam voluerunt, Philomelam* (Procnen) *dici μήτιδος οἰκτράν.* Scholiastae explicatio ferri nequit. Recte Procne diceretur *Τηρείας βίας ἄλοχος,* non *Τηρείας μήτιδος ἄλοχος,* non magis quam Xanthippa *Σωκρατείας σοφίας ἄλοχος.* Itaque corruptum esse *μήτιδος* certum mihi videtur; alteram autem explicationem Hermannus merito damnat. Fortasse Aeschylus scripserat *εὔνιδος,* orbatae, int. Itye filio, aut quod malim propter *κιρκηλάτας,* nido et pullis, et quia orbata est, *οἰκτρά* dicitur. Consentire cum hac interpretatione videbimus etiam quae sequuntur.

V. 59. s.: *ἅτ' ἀπὸ χλωρῶν πετάλων ἐργομένα*
πενθεῖ νέοικτον οἶτον ἠθέων.

Sic Hermannus ingeniosissime librorum scripturam *ἅταποχώρων ποταμῶν τ' ἐργομένα πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθέων* emendavit, unde verbis divisis edebatur *ἅτ' ἀπὸ χώρων ποταμῶν τ' ἐργομένα* vel *εἰργομένα.* Emendatio illa, quam Hermannus Odysseae verbis XIX., 518—20. confirmat, tam elegans est, ut facile cuiusvis animum capiat. Ac *νέοικτον οἶτον,* si strophae versum 55. comparamus, vix dubitari potest quin verum sit. Sed in priore versu dubito num *ἐργομένα* esse possit *διωκομένη,* quae scholiastae est explicatio. Nam primum *ἐγείρειν* non memini me ita legere ut esset *διώκειν*; tum si aoristus est, non est passivi generis; sin praesens, *ἔγρομαι* forma posteriorum est, non tragicorum; nam quod Eur. Phaeth. fr. II. 29. Df. legitur: *ἔγρονται δ' εἰς βοτάναν ξανθᾶν πώλων συζυγίαι,* codex illius fragmenti tam vitiosus est, ut non multum veritati istius formae tribuam. Fortasse ibi *ὄρνυνται* scribendum. Atque nescio an omnino tanta mutatio non requiratur, sed satis sit scribere:

ἅτ' ἀπὸ χώρων προτέρων εἰργομένα,

int. ab accipitre qui eam nido expulit pullisque orbavit. *Χῶροι πρότεροι* statim dicuntur *ἤθεα. Τέ* particula inserta videtur, postquam *προτέρων* in *ποταμῶν* corruptum est, nisi ei *δέ* v. 61. respondere velis. Ac fortasse etiam *ἐργομένα,* homerica forma, (Il. *ρ,* 571.) servari potest, cum epicas formas saepissime Aeschylus adhibuerit.

V. 67. ss.: *γοεδνὰ δ' ἀνθεμίζομαι*
δεῖμα, μένουσα φίλους.

Sic Hermannus pro *δειμαίνουσα φίλους. Μένουσα φίλους* si non est *adventum cognatorum,* Aegypti filiorum, *exspectans vel metuens,* quod non aptum videtur, amicorum auxilium se exspectare chorus dicit, ut idem significetur verbis *εἴ τίς ἐστι κηδεμών* v. 70. Ego conieceram *γοεδνὰ δ' ἀνθεμίζομαι δεῖμ', ἀλύουσ', ἄφιλος,* ῡ vocali in *ἀλύουσα* epicorum ratione correpta, idque etiam nunc teneo. *Εἰ* v. 70. apparet inter-

rogative accipiendum esse; nam verba *εἴ τίς ἐστι κηδεμών*, pendent ab *ἀνθεμίζομαι δεῖμα*: *lamentabiliter colligo metum* i. e. *metus et angoris plena sum*, *amens* i. e. *vehementer perturbata*, *amicorum expers*, *num quis huius fugae curam gerat.*

V. 71. sqq.: *ἀλλά, θεοὶ γενέται, κλύετ' εὖ τὸ δίκαιον ἰδόντες,*
ἢ καὶ μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν,
ὕβριν δ' ἐτύμως στέγοντες, εὖ
πέλοιτ' ἂν ἔνδικοι νόμοις.

Sic Hermannus. V. 72. M. *ἡ καὶ*, G. *ἢ καὶ* et in marg. *ἢ* adscriptum, P. *ἢ βαὶ*, E. *καὶ* omisso *ἤ*, Rob. *ἢ καί.* Deinde v. 72. librorum *ἑτοίμως*, G. *ἐτύμως* in *ἐτύμως* correxit Arnaldus. Tum *στυγόντες* M. E. Rob. Ald., *στυγόνες* G., *στυγοῦντες* inde a Turnebo recentiores, *στέγοντες* Heathius, addi volens *εὖ*, quem Hermannus secutus est. Mihi depravatum videtur *ἢ καί*; nam quae sequuntur *μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν* cett.: fere idem valent quod *κλύετ' εὖ τὸ δίκαιον ἰδόντες*, ut *ἢ καί* non sit aptum. Ex P. *ἥβᾳ* coniici potest, ut Aegypti filii iuvenes intelligantur; etiam *ἀλκᾷ* conveniat, cf. Pers. 597. Eur. Phoen. 259 Herm.: *δειμαίνω τὰν σὰν ἀλκάν.* Praeterea *στυγόντες* non mutandum puto; cf. v. 512.: *ἄλευσον ἀνδρῶν ὕβριν εὖ στυγήσας*, et *εὖ* non cum sequentibus verbis, sed cum *στυγόντες* ut v. 512. iungendum: *ὕβριν δ' ἐτύμως στυγόντες εὖ, πέλοιτ' ἂν* (f. *ἄρ'*?) *ἔνδικοι νόμοις* (f. *μόγοις*? int. *ἐμοῖς*). *Στυγόντες* participium est aoristi Homerici *ἔστυγον* Il. *ρ*, 694. Od. *κ*, 113. Sensus est: *iuventuti* vel *robori non praeter fas dato successu, sed insolentiam vere perosi iusti sitis aerumnis meis.* Ut *εὖ* cum *στυγόντες* iungatur, suadet etiam strophae interpunctio in extremo versu 66. posita.

V. 88. ss.: *βίαν δ' οὔτις ἐξαλύξει*
τὰν ἄπονον δαιμονίων.
μνῆμον ἄνω φρόνημά πως
αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμ-
πας ἑδράνων ἀφ' ἁγνῶν.

Sic Herm.. Libri v. 88. *οὔτιν' ἐξοπλίζει*, v. 89. *ἄποινον*, v. 90. *ἥμενον*, v. 92. *ἐφ'*. Aptissimam Hermannus restituit sententiam, sed haereo in *δαιμονίων*, quod ille dictum esse vult ut apud Euripidem *πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων.* At ibi est articulus qui, cum adiectivi neutrum sit substantive positum, vix abesse potest, atque in Aeschyli verbis tanto minus, quia *τὰν ἄπονον* praecedit; pro substantivo autem haberi illud nequit, cum *δαιμόνιον* substantivum a tragicis, ut etiam a Platone et Xenophonte, alienum sit. Itaque ego malim *δαιμονίαν.* Praeterea nescio an magis ad libros accedat *βίαν δ' οὔτις ἐξακρίζει*, quod cum *ἰάπτει δ' ἐλπίδων ἀφ' ὑψιπύργων* v. 86. et cum *ἄνω* v. 90. optime congruit; cf. Eur. Or. 275.: *ἐξακρίζετ' αἰθέρα πτεροῖς*; ac pro *μνῆμον*, quod per se egregium est (cf. *memorem Iunonis ob iram*), fortasse praestat *ἠρέμ'*, cui *ἄπονον* respondet.

V. 93. ss.: *ἰδέσθω δ' εἰς ὕβριν*
βρότειον, οἷα νεάζει, πυθμὴν
δι' ἁμὸν γάμον τεθαλὼς cett..

V. 94. *οἷα* Hermannus pro *οἷα*, Dindorfius cum Schuetzio *οἵᾳ*, recte iungens *οἵᾳ νεάζει πυθμὴν* cett.; nam subiectum verbi *ἰδέσθω* non potest esse *πυθμήν*, sed est *φρόνημα* v. 90. Ego tamen praetulerim *οἷαν νεάζει π.*. *Πυθμὴν* — *μεταγνούς* sunt Aegyptiadae.

V. 215. s.: *οὐδὲ μὴν Ἅιδου θανὼν*
φύγῃ ματαίων αἰτίας, πράξας τάδε.

Sic Herm. cum Schuetzio pro *μάταιον.* Equidem malim *ματήρων*, inquisitorum criminationes. Affert *μάτηρ* Hesychius, unde *ματηρεύω.*

V. 219.: *σκοπεῖτε, κἀμείβεσθε τόνδε τὸν τρόπον,*
ὅπως ἂν ὑμῖν πρᾶγος εὖ νικᾷ τόδε.

Haec si vera sunt, *τόνδε τὸν τρόπον* ad sequentia verba refertur iisque explicatur. Mihi tamen aptius videtur *τόνδ' ἔπος τορόν, τόνδε* regem. Cf. v. 261.: *βραχὺς τορός θ' ὁ μῦθος*, Ag. v. 1121.: *τί τόδε τορὸν ἄγαν ἔπος ἐφημίσω;* Constructio eadem est ac v. 180. Ceterum libri *τόπον*, non *τρόπον*.

V. 231. s.: *καὶ τἄλλα πού μ' ἐπεικάσαι δίκαιον ἦν,*
εἰ μὴ παρόντι φθόγγος ἦν ὁ σημανῶν.

Sic Hermannus iam Elem. doctr. metr. p. 113. scribendum censuerat, cum libri *καὶ τἄλλα πόλλ'* (G. *πολύ*) habeant. Sed dubito an *ἄλλα* pro *τἄλλα* dicendum sit; itaque malim: *κἂν ἄλλα πόλλ' ἔτ' εἰκάσαι δίκαιον ἦν*, quo simul caesura iusta infertur; quae si non requiratur, facillima mutatatio sit: *κἄτ' ἄλλα πόλλ' ἐπ. δ. ἦν*.

V. 252. s.: *τὰ* (i. e. *ἅ, κνώδαλα βροτοφθόρα*) *δὴ παλαιῶν αἱμάτων μιάσμασιν*
χρανθεῖσ' ἀνῆκε γαῖα μηνιταῖ' ἄχη.

Μηνεῖται ἄχη libri; *μηνιταῖ' ἄχη* scripsit Hermannus, id *solamina irae* significare putans. Obscure certe ita locutus esset poeta. Dindorfius *μηνιαῖ' ἄχη*, ut poeta beluas dicat singulis mensibus emissas ulciscendorum scelerum causa. Parum probabiliter. Scribendum mihi videtur *μηνίσασ' ἄχη*: terra irata beluas illas emisit ut essent calamitates, *als Plagen*. Cfr. Cho. 580: *πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινὰ δειμάτων ἄχη*.

V. 271. ss.: *Ἰνδούς τ' ἀκούων νομάδας, ἱπποβάμοσιν*
οἶμαι καμήλοις ἀστραβιζούσας, χθόνα
παρ' Αἰθίοψιν ἀστυγειτονουμένας.

Cum v. 272. libri *εἶναι* habeant, quod Hermannus in *οἶμαι* mutavit, pro *ἀκούων* omnes fere cum Rob. dederunt *ἀκούω*. Praeterea *ἀστραβιζούσαις* G. Rob., idemque M. habuisse videtur, cum inter *σα* et *ς* littera erasa sit. Difficultatem movet *χθόνα*, deinde mirum *ἀστυγειτονουμένας* medium et cum *παρά* constructum. Itaque gravius hic peccatum puto. Equidem coniicio:

Ἰνδούς τ' ἄγοιμ' ἂν νομάδας ἱπποβάμοσιν
ὑμᾶς καμήλοις ἀστραβιζούσαις, χθόνα
παρ' Αἰθίοψιν ἄγχι γηνομουμένας,

terram Aethiopibus finitimam incolentes. *Γηνομεῖσθαι* etsi non invenitur, legitime tamen formatum est, recteque id poetarum ratione cum *χθόνα* iungi non est quod demonstrem. Ceterum recte Hermannus: »*ἱπποβάμοσιν καμήλοις* cum vectas dicit, nihil aliud vult quam camelis equorum instar utentes.«

Vv. 429. ss.: Libri habent:

καὶ γλῶσσα τοξεύσασα μὴ τὰ καίρια,
γένοιτο μύθου μῦθος ἂν θελκτήριος,
ἀλγεινὰ θυμοῦ κάρτα κινητήρια,

tertio versu cum praecedenti oratione omnino non coniuncto, ut corruptela loci certa sit. Quare Hermannus, ut verba superioribus necterentur, scripsit:

μὴ ἀλγεῖν ἃ θυμοῦ κάρτα κινητήρια,

i. e. *ὥστε μὴ ἀλγεῖν*. Quae ratio quamquam est sagacissime excogitata, mihi tamen pariter atque in iis quae proxime antecedunt Hermannus versibus 427. 28 transpositis medelam corrupto loco adhibuit, ita hic quoque praestare videtur verba *ἀλγεινὰ θυμοῦ κάρτα κινητήρια* statim versui 429. subiici commate post *ἀλγεινά* posito, ut verborum *τὰ καίρια* illa sint appositio. Atque idem iam Stanleium suasisse video. Dindorfius contra illum versum ut spurium et plane inutilem condemnavit. Mihi aliter videtur; certe non omnia quae *ἄκαιρα*, etiam *ἀλγεινά* et *θυμοῦ κάρτα κινητήρια* sunt. Ortum autem

vitium mihi sic videtur: cum prior versus in *χαίρια*, posterior in *θελκτήριος*, ergo in easdem maximam partem litteras exiret eaque de causa librarius oculis aberrans posteriorem omisisset, animadverso errore in margine eum adscripsit; unde tum factum est ut non suo loco in contextum reciperetur. Vulgatus tamen ordo servari poterit, si scribetur: *ἀλγεινὰ θυμοῦ κάρτα νικητήριος*, quod si quis praetulerit, nihil intercedam.

Ante v. 435. cum legeretur:

ἦ κάρτα νείκους τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι,

Hermannus reprobata scholiastae explicatione, *καὶ τοῦτο ποιῶν ἐκτὸς ἔσομαι τοῦ νείκους θεοῖς ὑπηρετῶν*, quia chori verba v. 438. *πολλῶν ἄκουσον τέρματ' αἰδοίων λόγων* tam ex abrupto accidant, ut aliquid requiramus quo adducta sit virgo, ut sic abscise regi optionem det, eo apparere dicit versum istum non regis esse, sed chori intelligentis pereundum sibi esse per tergiversationem regis. Itaque illum versum sic scriptum:

ἦ κάρτ' ἄνοικτος τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι,

choro tributum ante v. 438. posuit; putandum autem esse ducem chori ad sorores suas conversam haec dicere, tum autem regi respondere:

πολλῶν ἄκουσον τέρματ' αἰδοίων λόγων.

Quamquam haec ratio ingeniosissima est, tamen iusto audacior mihi videtur ac vix explicari posse quomodo factum sit ut versus ille suo loco moveretur. Ac mihi quidem abrupta illa et abscisa virginum responsio accommodatissima videtur. Itaque illum versum ego loco non moverim, sed aperte corruptum sic emendo:

ἦ κάρτα νείκους τοῦδ' ἀγῶν' ἀπεύχομαι,

quae et praecedentibus et insequentibus verbis optime conveniunt. Ceterum cf. Ag. v. 1337.: *ἐμοὶ δ' ἀγὼν ὅδε — νείκης παλαιᾶς ἦλθε.*

V. 449. Libri: *ἤκουσα μακιστῆρα καρδίας λόγον*, et M. in ima pagina adscriptum habet *μακιστῆρα ἰόν*, quod in G. v. 469. supra adscriptum est. Post Auratum cum Stanleius aliique *μαστικτῆρα* scribendum censuissent, Hermannus scholiastae annotationem, *ἤκουσα λόγον καρδίας δηκτικόν*, dicit ostendere scriptum fuisse *δακνιστῆρα*. Mihi propius ad litteras accedere videtur haec scriptura:

ἤκουσά μου κνιστῆρα καρδίας λόγον.

Cfr. Soph. Oed. R. v. 786.: *ἔκνιζέ μ' ἀεὶ τοῦτο.*

V. 482. Omnes: *φύλαξαι, μὴ θράσος τέκῃ φόβον.* Mihi *φόνον* scribendum videtur idque confirmari verbis quae sequuntur: *καὶ δὴ φίλον τις ἔκταν' ἀγνοίας ὕπο.*

V. 498. Libri: *ἀεὶ δ' ἀνάκτων ἐστὶ δεῖμ' ἐξαίσιον*, in quibus aperte corruptum *ἀνάκτων* Hermannus in *ἀνάρκτων* mutavit; esse enim virgines *ἀνάρκτους* absente patre. Verum hoc quidem, et puellas propterea supra modum timere consentaneum est; cfr. v. 719.: *γυνὴ μονωθεῖσ' οὐδέν*, sed non in universum eam sententiam probari posse puto. Scribendum videtur:

ἀεὶ γυναικῶν ἐστι δεῖμ' ἐξαίσιον.

V. 500. *ἀλλ' οὔτι δαρὸν χρόνον ἐρημώσει πατήρ.*

Hermannus: »*Deest pronomen, neque Aeschylus χρόνον utraque brevi in medio trimetro posuisset. Quare ἀλλ' οὔτι δαρόν σ' ἐξερημώσει πατὴρ scripsi.*« Dubito an *ἐξερημοῦν* cum personae accusativo poni non possit, certe exempla desidero. Itaque malim *ἀλλ' οὔτι δαρὸν δή σ' ἐρημώσει πατήρ.*

V. 501. s.: *ἐγὼ δὲ λαοὺς συγκαλῶν ἐγχωρίους*
πείσω, τὸ κοινὸν ὡς ἂν εὐμενὲς τιθῶ.

Sic Hermannus cum Turnebo; pro *πείσω* M. *πιετω*, G. in mrg. et P. *πιέτω*, G. in contextu et E. *ἐπιέτω.* At *πείσω* si scribitur, non *συγκαλῶν*, sed *συγκαλέσας* dicendum erat. Itaque mihi scribendum videtur *σπεύσω*, ut *συγκαλῶν* futurum sit, ad eamque scripturam ducit G. et E.

V. 518.: *νέωσον εὔφρον' αἶνον.*

Αἶνον si poeta scripsit, referendum hoc est eo ut Iuppiter vocetur ac probetur *πολυμνήστωρ, ἐφάπτωρ Ἰοῦς*, dumque talem se praestet, benevolentiae laudem renovet, et *εὔφρονα* supplices virgines spectat. Contortior tamen est haec ratio, quam ob rem mihi *αἶσαν* scribendum videtur: *renova hilarem, laetam nobis sortem.* — Ceterum in strophico versu 511. fuit cum pro *πιθοῦ* (sic recte Herm. iubente antistropha) *τε καὶ γενέσθω* coniicerem *πιθοῦ, λιταὶ τελείσθων*. Cf. Soph. Oed. R. v. 1064. 1414.

V. 605. ss.: *τοιαῦτ' ἀκούων χερσὶν Ἀργεῖος λεὼς*
ἔκραν' ἄνευ κλητῆρος ὡς εἶναι τάδε.
δημηγόρους δ' ἤκουσεν εὐπειθεῖς στροφὰς
δῆμος Πελασγῶν· Ζεὺς δ' ἐπέκρανεν τέλος.

In his primum v. 606. pro *ὡς* malim *ὦδ'*, *sic ut dixi.* Et sententiae vv. 607. 8. vitio et male productae secundae verbi *ἐπέκρανεν* syllabae notato Hermannus, quia solvi contio debuerit, pro *ἤκουσεν* scripsit *ἔλυσεν*, cum Blomfieldio *εὐπιθεῖς*, et, quia Danaus scire non potuerit comprobasse haec Iovem, sed optare debeat ut comprobet, v. 608. *Ζεὺς δὲ κράνειεν τέλος.* Ego propius ad libros me applicans malim:

δημηγόρους δ' ἥστωσεν εὐπιθεῖς στροφὰς
δῆμος Πελασγῶν· Ζεὺς δέ γ' εὖ κράναι τέλος.

Populus contionatorum Danai filiarumque eius receptionem dissuadentium artes oratorias ad nihilum redegit.

V. 614. ss.: *νῦν ὅτε καὶ θεοὶ Διογενεῖς κλύοιτ' εὐ-*
κταῖα γένει χεούσας·
μήποτε πυρίφατον τὰν Πελασγίαν πόλιν
τὸν ἄχορον βοὰν κτίσαι μάχλον Ἄρη.

Καί v. 614. quid sibi velit non intelligo; itaque *μου* aut *μάν* scribendum puto. Gravius vero peccatum v. 616. et contra metrum et contra sententiam ac constructionem. Hermannus metri indicio posuisse se dicit *τάνδε Πελασγίαν* deleto *πόλιν*, atque et metro et sententia postulante *τὰν ἄχορον*. Optare chorum ne urbs incensa deploret caedes proeliantium. Verborum ordinem ostendere haec recta oratione sic procedere: *μήποτε ἥδε Πελασγία τὴν ἄχορον βοὰν κτίσειε, βοῶσα μάχλον Ἄρη.* Quod vir clarissimus metri causa *τάν* scripsit, praeter necessitatem fecit; cfr. v. 378 cum 388, 379 cum 389. v. 707 cum 714, ubi eodem dochmiorum loco brevibus longae syllabae respondent, quamquam v. 714. fortasse *νέας* epica forma scriptum fuit, nam ne *νῆας* quidem, quod item epicorum est, apud tragicos invenitur nisi Eur. Iph. A. 250.; *τόν* autem certe schol. legit explicans: *τὸν εἰς τοὺς πολέμους κατωφερῆ, ἢ τὸν παλίμβολον*, et confirmatur insequentibus verbis: *τὸν ἀρότοις θερίζοντα βροτοὺς ἐν ἄλλοις.* Est enim anaphora. Neque quae praeterea Hermannus mutavit mihi satisfaciunt. Ego faciliore mutatione conieceram: *μήποτε πυρίφατον τάνδ' ἐλάσαι πόλιν*, praeterea nihil mutans. Sic habemus verbum quod desiderabatur, ac sententia oritur accommodatissima: *ne quando hanc urbem incensam affligat vel subigat funestum clamorem excitare gestiens Mars.* Cfr. Pers. v. 771.: *Ἰωνίαν τε πᾶσαν ἤλασεν βίᾳ*; 880.: *καὶ τὰς εὐκτεάνους — πολυάνδρους (πόλεις) ἐλαύνων ἐκράτει.* Vera est igitur scholiastae prior explicatio. Ceterum cf. v. 654.

V. 625.: *Δῖον ἐπιδόμενοι πράκτορά τε σκοπὸν*
δυςπολέμητον, ὃν οὔτις ἂν δόμος ἔχοι
ἐπ' ὀρόφων μιαίνοντα· βαρὺς δ' ἐφίζει.

Primi versus corruptelam Hermannus emendavit *πράκτορα πάνσκοπον*, ut ei schol. legisse videtur explicans *τὸν Διὸς ὀφθαλμὸν τὸν πάντα σκοποῦντα.* Dubito equidem: certe unde *ὀφθαλμόν* sumamus? Bambergeri et Markscheffelii *πράκτορ' ἄτας σκοπόν* per se aptissimum metri ratione damnatur. Intelligi *Διὸς κότον* qui tanquam persona similiter ac *Διὸς ὅρκος* cogitatur, certum est, cfr. v. 366 ss.: *τὸν ὑψόθεν σκοπὸν ἐπισκόπει φύλακα πολυπόνων βροτῶν. — μένει τοι Ζηνὸς ἱκτίου κότος*; v. 332, 412, 461, 600.

Iam quaeritur *πράκτορα* et *σκοπόν* nominum utrum adiectivum, utrum substantivum sit. Per se ipsum utrumque esse potest, sed coll. v. 366, ubi *σκοπόν* adiectivi, *φύλακα* substantivi loco est, magis eo inclino, ut *πράκτορα* substantivum esse putem, et sic aptissima est Hermanni scriptura. Minus tamen a libris discedet *πράκτορ' ἄνω σκοπόν* (cf. 366.) vel, quod malo, *πράκτορ' ἀεὶ σκοπόν*. Sed *σκοπόν* fortasse ex simili loco v. 366. huc illatum est, cum scriptum esset *κότον*. V. 626. s. neque metrum recte habet, quod etsi ex parte certe *δυςπόλεμον, τόν* scribendo, ut Butlerus voluit, emendari potest, tamen extremo versu hiatu peccat, neque sententia propter *μαίνοντα*, quod Schuetzius non male in *κοταίνοντα* mutari volebat. Hermannus, quoniam *βαρὺς δ' ἐφίζει* sequitur, credibilius esse ratus simpliciter verbum quod commorationem indicaret positum fuisse, scripsit *δυςπολέμητον, ὅςτις ἂν δόμος ἔχῃ σφ' ἐπ' ὀρόφων ἰαύοντα*. In his minime mihi arridet *ὅστις ἂν δόμος* —, quaecunque domus, neque *ἰαύειν* satis aptum videtur. Magis, ut spero, placebit quod ego conieci:

δυςπολέμητον, ὃν τίς ἂν δόμος ἔχειν
ἐπ' ὀρόφων λιλαίοιτο; βαρὺς δ' ἐφίζει,

quem quaenam domus super tecto habere aveat? aut Butleri coniectura recepta:

δυςπόλεμον, τὸν οὔτις ἂν δόμος ἔχειν
ἐπ' ὀρόφων λιλαίοιτο· βαρὺς δ' ἐφίζει.

Prius tamen praefero; facile enim apparet qui factum sit ut *τίς* in *οὔτις* mutaretur. *Λιλαίεσθαι* hic plane sic positum ut Hom. Od. *ο*, 327: *ἦ σύ γε πάγχυ λιλαίεαι αὐτόθ' ὀλέσθαι*, cum ironia quadam.

Laude omni maior est admirabilis Hermanni corruptorum verborum emendatio v. 752:

τὸ πᾶν δ' ἀφάντως ἀμπετὴς εἰς ἄος, ὡς | κόνις,

cum M. habeat *ἄφαντος ἀμπήσαισ δόσως κόνις*, E. G. *ἄφαντος ἀμπετήσας δόσως* (*δόσας* G.) *κόνις*, Rob. *ἄραντος ἀμπετήσασ' ὡς κόνις*, P. *ἄφαντος ἀμπετάσας δὲ κόνις*. Id tamen dubito an *ἄφαντος* nulla necessitate propter antistropham in *ἀφάντως* mutatum sit; sin vero syllaba longa requiratur, an praestet *τὸ πᾶν ἄφαντος δ' ἀμπετὴς κτλ.*

V. 762. s.: *πόθεν δέ μοι γένοιτ' ἂν αἰθέρος θρόνος,*
πρὸς ὃν νέφη δ' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών.

Sic fere libri, nisi quod *γείνεται* vel *γίνεται* ibi scriptum est. Hermannus cum olim coniecisset *πρὸς ὃν νέφη θ' ὑδρήλ', ἃ γίγνεται χιών*, postremo Dindorfii coniecturam adoptavit: *πρὸς ὃν κύφελλ' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών*. *Recipiendum duxi*, inquit Hermannus, *κύφελλα*, *licet, quod sciam, ex Alexandrinis tantum poetis Callimacho et Lycophrone allatum.* Mihi dubitatio est non solum propter suspectam apud Atticos illius vocis auctoritatem, sed etiam quia haereo in verbis *πρὸς ὃν — γίγνεται*, cum *πρὸς ᾧ* potius exspectes. Aeschylum scripsisse puto:

πρὸς ὃν νέονθ' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών,
zu welchem schwimmend Wasserdünste werden Schnee.

Confusae sunt litterae *ON* et *ΦΗ*, haecque est origo corruptelae.

V. 779.: *κυσὶν δ' ἔπειθ' ἕλωρα κἀπιχωρίοις*
ὄρνισι δεῖπνον οὐκ ἀναίνομαι πέλειν.

Iam olim miratus sum, cur aut quo sensu aves dicerentur *ἐπιχώριοι*, nec magis nunc intelligo, cum peregrinae aves nulla lege arceri possent. Canes si sic dicerentur, recte se haberet. Fuitne *κἀγκυλωνύχοις*?

V. 794. *ὅδε μάρπτις ὁ νάϊος γάϊος*. Articulum ante *νάϊος* recte inseruit Hermannus. Quod autem idem divisit *ὁ δέ*, (nam, ut apertum esset *ὁ νάϊος* ab Aeschylo scriptum fuisse, sic etiam *ὅδε* demonstrativum, quo significaretur en adest, dicendum fuisse *ὅδ' ὁ μάρπτις*; sed tum duo dicta hoc versu contineri, *ὅδ' ὁ μάρπτις· ὁ νάϊος γάϊος*, id vero inconcinnum esse): mea sententia *ὅδε μάρπτις ὁ νάϊος γάϊος* est: *en raptor qui navi advectus est in terra est*, *hier ist der Räuber vom Schiff am Lande*, ut recte se habeat *ὅδε*.

V. 814. s. Libri: *αἵμονες ὡς ἐπάμιδα* (*ἐπαμίδα* G. E., *ἐπ' ἀμίδα* Rob.) *ησοδουπια* (*ἥσυδουπία* G. E. Rob.) *τάπιτα.* Inde Hermannus sagacissime (ut in hac tota huius fabulae parte admirabilis est) extricavit:

αἷμον' ἴσως σέ γ' ἐπ' ἄμαλα
ἥσει δουπίαν τἀπὶ γᾷ,

cruentum te fortasse mittent in navem copiae terrestres Argivorum, incertum relinquens, navem *δουπίαν* utrum *cum strepitu aufugientem*, an, ut fere *δουπεῖν* usurpetur, *perituram* dicat. Equidem artius litteras premens primum pro *ἴσως* malim *ἔσω*, tum *δούπιον* proleptice, *ὥστε δουπεῖν*, ad *σέ* ut referatur; praeterea fortasse *σ' ἔτ'* pro *σέ γ'* scribendum, et, si *ἔσω* verum est, pro *ἐπ'* malim *ἐς*:

αἷμον' ἔσω σέ γ' (vel *σ' ἔτ'*) *ἐς ἄμαλα | ἥσει δούπιον τἀπὶ γᾷ,*
blutig wird dich noch hinein in das Schiff mit Krach die Landmacht werfen.

V. 819. s.: *λεῖφ' ἕδρανα, κί' ἐς δόρυ*
ἀτιέτανα πόλιν εὐσεβῶν (sic M., *ἀτίετ' ἀναπόλιν* G., *ἀτίταν ἄπολιν* P., *ἀτίετ' ἀνάπολιν* Rob.)

Schol.: *μήποτε μετέχων τιμῆς ἐν τῇ πόλει τῶν εὐσεβῶν*, ut *ἀτίετος* aut *ἀτίετ' ἀνὰ πόλιν εὐσεβῶν* legisse videatur; vulg. *ἀτίετ' ἀνὰ πόλιν εὐσεβῶν.* Hermannus: »*quum hi tres versus praeconis esse putarentur, non mirandum est quod emendari non potuerunt. Scripsi ἀτίετος quod est* impune, *et ἀσεβῶν. Abire iubent ab sedibus suis praeconem impune in urbe sacratas sedes violantem.*« Recte sine dubio *ἀσεβῶν*, de *ἀνὰ πόλιν* dubito, cum sedes illae non essent in urbe, sed aliquantum ab ea distantes. Sed quomodo emendanda ista sint, valde incertum est. Possis coniicere: *ἀτίετ', ἄναγε, πολέ' ἀσεβῶν*, vel *ἄναγε πάλιν, ἀσ.*, vel *ἀνάγε', ὀλέ', ἀσ., ἀτίετ'* ut cum *ἀσεβῶν*, ut Hermannus vult, iungatur. Quamquam nescio an pro *ἀτίετ'* scribendum sit *ἀνίερ'*; cfr. v. 727. *Ἄναγε* et *ἀνάγεο* proficiscere navi; *ὀλέο, peri.* Commoti est animi signum imperativus inter *ἀτίετα* (vel *ἀνίερα*) et *ἀσεβῶν* interpositus. Ceterum aptissime procedit oratio: linque sedes, i in navem, proficiscere, peri.

V. 821. ss.: *μήποτε πάλιν ἴδοιμ'*
ἀλφεσίβοιον ὕδωρ,
ἔνθεν ἀεξόμενον
ζώφυτον αἷμα βρότοισι θάλλει.

V. 824. pro *αἷμα* Bambergerus coniecit *οἶδμα* de inundatione Nili id intelligens; ego malim *οἶσμα,* fructus, (i. q. *φέρμα* v. 661, a futuro *οἴσω* derivatum; cf. *οἰστός* et *φερτός*.) propter Aegypti agrorum Nilo inundatorum fertilitatem.

V. 827.: *σὺ δ' ἐν ναΐ, ναΐ βάσει τάχα*
θέλεος ἀθέλεος.

Recte Hermannus metro iubente *ἐν* inseruit; pro *τάχα* autem, ne dochmius male in brevem exeat, scribendum puto *τάχος*.

V. 842. Corruptissime M. *λύμασις ὑπρογασυλάσκει*, G. *λύμασις ὑπρογασυλάσκει* (οι supra), E. Rob. *λύμασις ὑπρογασυλάσκοι*, et v. 843 hi omnes *περιχαμπτὰ βρυάζεις*. Hermannus haec sic emendavit:

λυμανθεὶς σὺ πρὸ γᾶς ὑλάσκοις
περίκομπα βρυάζων,

excruciatus tu ante terram (h. e. *in mari*) *latres grandia iactans.* Minus haec mihi placent; priora verba ut iam in Observatt. critt. in Aeschyli Oresteam (Programm. Posn. 1837) p. 9. correxi, sic etiam nunc scribendum puto: *λύμας οἷ σὺ προβὰς ὑλάσκεις.* Pro *περιχαμπτά* autem aut cum Hermanno *περίκομπα*, aut quod propius ad litteras accedit cum Schwerdtio *περιχανδά* scribas. Sed etiam quae sequuntur depravata sunt. Habent autem libri haec: *ὃς ἐρωτᾶς* (*ἐρωτᾷς* G. *ἐρωτὰς* Rob.) *ὁ μέγας Νεῖλος ὑβρίζοντά σε ἀποτρέψει ἔναιστον ὕβριν*, unde Turnebus *ἀποτρέψειεν, ἄϊστον ὕβριν.* Haec Hermannus plena post *βρυάζων* posita interpunctione sic correxit:

ὁ δὲ βώτας, ὁ μέγας Νεῖ-
λος ὑβρίζοντά σ' ἀποτρέ-
ψειεν ἄοιστον ὕβριν.

Nam cum per ordinem verborum necessario coniungenda sint *ὑβρίζοντα ὕβριν,* patere praeconem quidem ipsum, sed non *ὕβριν* posse *ἄϊστον* dici. Equidem totam stropham sic scribendam censeo:

οἰοῖ, οἰοῖ,
λύμας οἷ σὺ προβὰς ὑλάσκεις
περιχάνδ' ἃ βρυάζεις.
ὃς ἐπωπᾷ δ', ὁ μέγας Νεῖ-
λος, ὑβρίζοντά σ', ἀποτρέ-
ψειεν ἄϊστον ὕβριν.

Vae, vae, quo tu contumeliae progressus latras quae nimis diducto rictu iactas! Sed qui te videt, magnus Nilus, superbientem, avertat insolentiam tuam ut ad nihilum redigatur. *Ἄϊστον* proleptice positum est, *ὥστε ἄϊστον εἶναι.* Similiter Schwerdtius nuper prima verba correxit, qui edidit: *ὃς ἐπωπᾷ σε μέγας Νεῖλος, ὑβρίζοντος ἀποτρέψειεν ἄϊστον ὕβριν,* sed perperam articulum ante *μέγας Νεῖλος* omittens; nec facile particula adversativa v. 844. carebimus; et quis ferat *ὑβρίζοντος ὕβριν*? *Ἐπωπᾶν* legitur Choeph. 679, Eum. 272. 956. Deinde nescio an praeferendum sit *ἀποστρέψειεν,* quod Hartungus dedit.

V. 849. Quod Observatt. critt. p. 17. conieci:

ὁλκὴ γὰρ οὖλον πλόκαμον οὐδάμ' ἄζεται,

οὖλον pro *οὔτοι*, eius ne nunc quidem me poenitet; cfr. Herod. II, 104.

V. 851. ss.: *βρέτεος ἄρος ἄτα.*
ἀμαλάδ' ἄγει μ'
ἄραχνος ὣς βάδην νόαρ, νόαρ μέλαν.

Sic Hermannus, egregie *νόαρ, νόαρ* pro *ὄναρ, ὄναρ* restituens, sed v. 851. nescio an in hoc dochmio soluta utraque arsi media longa thesis in paenultima syllaba minus apta sit. Recepit *ἄτα* ex Eustathio, sed monstruosa librorum scriptura, *βροτιοσα ροσαται* M. E., *βροατίοσα ροσάται* G., ducit ad *ἀτᾷ,* et schol. explicans: *ἡ δὲ βρετέων ἐπικουρία βλάπτει με,* legisse videtur *βρέτεος ἄρος μ' ἀτᾷ,* quod tamen metrum non admittit. Accedit quod exspectatum a dei simulacro auxilium virgines non tam perdidit quam decepit, quod id adhuc frustra exspectatum est. Equidem scribendum arbitror:

βρέτεος ἄρος ματᾷ,

simulacri auxilium cunctatur. Sunt autem a v. 850 ad 853. versus omnes iambici. — Deinde cum v. 852. M. G. habeant *μαλδααγει*, Rob. *μάλδά γει,* quod Hermannus dedit *ἀμαλάδ' ἄγει μ'*, ad sensum quidem est aptissimum, sed cum in antistropha v. 862. respondeat purus monometer iambicus, persuadere mihi non possum, illic dactylo pro iambo locum esse. Ab ea parte praestat quod Hermannus scribi potuisse dicit *ἀμαλδυνεῖ*, sed mihi futurum non probatur, nec *βάδην* convenit. Scriptum fortasse fuit *ἀμύγδ' ἄγει μ'*, *vellicando et lacerando me abigit*, a verbo *ἀμύσσειν,* unde *ἀμύξ* affertur. Ceterum quod schol. legitur, *ὡς μηδὲν οὖσαν,* aperte corrigendum *ὡς μυῖαν οὖσαν,* ad araneae comparationem aptissimum. De nigra aranea (nam talem dici docet *νόαρ μέλαν*) cfr. Aristot. Hist. An. IX. 39. *τὸ δ' ἕτερον (ἀράχνιον) μεῖζον, τὸ μὲν χρῶμα μέλαν, τὰ δὲ σκέλη τὰ πρόσθια μακρὰ ἔχον, τῇ δὲ κινήσει νωθρὸν καὶ βαδίζον ἠρέμα.* Legatur igitur:

βρέτεος ἄρος ματᾷ.
ἀμύγδ' ἄγει μ'
ἄραχνος ὣς βάδην νόαρ, νόαρ μέλαν.

V. 946. s.: *εἰ θυμός ἐστιν εὐτύχους ναίειν δόμους*
πολλῶν μετ' ἄλλων,

pro *πολλῶν* mihi scribendum videtur *πόλεως*, id ut a *δόμους* pendeat.

V. 952. s.: *καί μου τὰ μὲν πραχθέντα πρὸς τοὺς ἐκτενεῖς*
φίλους πικρῶς ἤκουσαν αὐτανεψίους.

Sic G., sed M. *φίλου*, supra *ου* scripto *οσ*, E. et Rob. *φίλου*. Pro eo Hermannus *μάλ' οὐ*, Engerus coniecit *φίλ' οὐ πίκρ' εἰςήκουσαν*, Schwerdtius dedit *φίλ' οὐ πικρῶς ἤκουσαν*. Nihil horum mihi satisfacit; scribendum puto: *σῖγ', οὐ πικρῶς ἤκουσαν*. Pro *ἐκτενεῖς* Hermannus *ἐκγενεῖς*, *e genere eiectos vel eiiciendos*, quos etiam *degeneres* hic dici posse. Schwerdtius *ἐγγενεῖς*, quod plane otiosum est propter *αὐτανεψίους*. An fuit *ἐκμανεῖς*? cfr. v. 712 et 727. s..

V. 960. ss.: *καὶ ταῦθ' ἅμ' ἐγγράψασθε πρὸς γεγραμμένοις*
πολλοῖσιν ἄλλοις σωφρονίσμασιν πατρός,
ἀγνῶθ' ὅμιλον ὡς ἐλέγχεσθαι χρόνῳ.

Hic v. 962. *ὡς* quamquam defendi potest, tamen malim *ἀγνῶθ' ὅμιλον ὄψ' ἐλέγχεσθαι χρόνῳ*. V. 960. libri *ταῦτα μὲν γράφεσθε*; recte fortasse Hartungus *ταῦτά μοι γράφεσθε*.

V. 967. ss.: *τέρειν' ὀπώρα δ' εὐφύλακτος οὐδαμῶς,*
θῆρες δὲ κηραίνουσι καὶ βροτοὶ τι μήν.
καὶ κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ
καρπώματα στάζοντα κηρύσσει Κύπρις,
κάλωρα κωλύουσαν θ' ὡς μένειν ἐρῶ.

Sic fere libri, nisi quod v. 967. E. G. *τὶ μήν*, v. 971. M. sine accentu *καλωρα*, et *θως*, et in contextu *μένην*, supra scripto *ει*, E. *θωσαμενην*. Versus 968, 970 et maxime 971. corruptos esse patet; et duo certe vitia egregie sanavit Hermannus, v. 968. scribens *τί μήν*; cum antea *τί μιν* vel *τί νιν* editum esset. et deinde *καρπώμαθ', ἃ στάζοντα κηρύσσει Κύπρις*. De ceteris eius emendationibus tamen dubito. »*Impatientissimi*, inquit, *litterae a scribis male geminatae vel non recte positi accentus philologi immobili vultu adspexerunt feras virginibus pudicitiam eripientes. Scripsi θήραις δὲ κηραίνουσί νιν βροτοί, τί μήν; Et in θήραις incidit etiam Wieselerus Coniect. in Aeschyli Eum. p.* 245. *Quum μήν visum esset μιν esse, νιν mutatum fuit in καί.* Laedunt, *inquit*, teneram aetatem persequendo homines: quid vero? quum vel bestiae alatae et in solo incedentes venerem appetant. *Non dubitandum est quin versus exciderit post v.* 969. *Incredibile est enim, quum aves et quadrupedes bestiae memorentur, praeteritos esse pisces, praesertim a poeta Atheniensi. Et indicat lacunam etiam inconcinnitas dictorum.*« Scripsit igitur:

θήραις δὲ κηραίνουσί νιν βροτοί, τί μήν;
καὶ κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ
καὶ νηκτὰ πάντως ἐστὶν ἁρπάζοντ' ἰδεῖν
καρπώμαθ', ἃ στάζοντα κηρύσσει Κύπρις
κἄωρα κωλύουσά θ' ὡς μένειν ὅρῳ.

Etiam bestias et pennigeras et in solo incedentes et natantes videas fructum captare, quem emergentem Venus nuntiat etiam immaturum et arcens ut maneant intra terminum, h. e. ne mares citius quam lex permittat fructu potiantur. Arcere dici Venerem congressum, quia etiam bestiae feminae, quum nondum maturae sint, marem admittere detrectent. Constructum esse *κωλύουσα* cum *ὡς* ut apud Thucydidem VII. 36. 1. *τὴν στενοχωρίαν κωλύσειν ὥστε μὴ περιπλεῖν*. Neminem Graecum ita dicere potuisse puto. Quae Hermannus Aeschylo dedit, cum Thucydidis verbis congruerent, si dictum esset *κωλύουσά θ' ὡς μὴ ἐκβαίνειν ὅρου*. Sed ut hoc mittam, sane quam obscura et contorta foret poetae dictio; et cum verba *κωλύουσα θ' — ὅρῳ* praecedentibus opponantur, non *κωλύουσα θ'* dici poterat, sed debebat esse *κωλύει δέ*. Neque

quo pacto defendatur feminarum pudicitia, sed quot quantisque undique periculis obnoxia sit Danaus docere vult. Quod etiam ea quae sequuntur demonstrant. Verum ne *θήραις* quidem v. 968. mihi satis placet; nam venando virgines non tam laeduntur quam in periculum adducuntur. Quod denique Hermannus piscium mentionem desiderat, Danaus ea animalia commemorat, quae et potiora sunt et quorum vita et studia in hominum oculos maxime incurrunt. Mihi locus sic scribendus videtur:

τέρειν' ὀπώρα δ' εὐφύλακτος οὐδαμῶς·
θεοί σφε κηραίνουσι καὶ βροτοί. τί μήν;
καὶ κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ
καρπώμαθ' ἃ στάζοντα κηρύσσει Κύπρις·
κἄωρον ὤλεσ' ἄνθος ὃν μήνει' ἔρως.

Et dii eam (virginum pubertatem) *laedunt et mortales. Quid vero? etiam bestiae alatae et in solo incedentes laedunt fructum quem maturum Venus nuntiat. Vel immaturum florem perdit is quem cupiditatis furor incendit.* Ac deos quidem illa aetate virginibus insidiatos esse et vim intulisse, plenae exemplorum sunt poetarum fabulae, ut Danaus filias suas recte ab illis non minus quam a viris iubeat sibi cavere. Confusa sunt *ΘΕΟΙΣΦΕ* et *ΘΕΡΕΣΔΕ.* Ad *κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ* ex praecedentibus verbis repetendum *κηραίνει.* Ultimum versum sic iam a. 1836. emendavi, neque nunc reperio quod magis mihi placeat, nisi in eandem sententiam malis: *κἄωρα λωτίζουσιν* (aut *λωτίζοιντ' ἄν*) *οἷς μέμην' ἔρως.* Cfr. v. 950. Eur. Suppl. 449. Iph. A. 793. Maturorum autem fructuum periculis commemoratis immaturi floris mentionem fieri aptissime nemo, opinor, infitiabitur.

Sed haec hactenus: quae praeterea in hac fabula notavi, fortasse alio tempore proponam.

Sophoclis fabulas cum per quadraginta paene annos saepissime nec longis temporis intervallis legerim ac relegerim, modo cursim et festinantius, modo attentius et accuratius, fieri non potuit quin multa notarem quae cum aut mendosa et corrupta aut dubia et suspecta mihi viderentur, emendationem requirerent; quae si omnia proferre vellem, modico volumini explendo sufficerent. Sunt autem coniecturae meae valde diversorum temporum; sed imprimis multa novissimi anni addiderunt, cum Schneidewini Sophoclem accuratius examinarem. Sed cum non pauca sint, quae vel ante vel post me alii eadem atque ego invenerint, si in iis quae proponam acciderit, ut mea emendatio iam prius ab aliis sit edita, id ego ignoravi. Nam quaecunque eiusmodi vidi ac legi (plurima tamen me fugisse certum est), semper nomine auctoris addito in marginibus adscripsi, simul notans uter prior esset eius coniecturae auctor. Hoc vero loco et hoc tempore pauca ex singulis fabulis speciminis loco in medium proferre mihi liceat.

SOPHOCLIS AIAC. v. 269.: *ἡμεῖς ἄρ' οὐ νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν.*

Sic libri et schol., nisi quod cod. Par. a Bekkero collatus *γ' ἄρ',* Mosq. b. *οἱ* pro *οὐ.* Nuper demum hic offensum est; unde Hermannus ed. 3. scripsit *ἡμεῖς ἄρ' οὖν νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν,* quod miror viro summo probari potuisse. A. Nauckius nuper coniecit: *ἔχεις ἄρ'· οὐ νοσ. ἀτ. νῦν.* Quem cum alicubi legissem hunc locum emendasse nec tamen quomodo, ipse, qui semper ad illud tempus sine ulla paene offensione hunc versum legissem, accuratius eum examinavi. Atque sunt sane quae offendant. *Ἡμεῖς* pronomen sine vi ac praeter necessitatem positum, cum nulla alius cuiusquam aut aliorum sit oppositio; sed desideratur confirmatio eius sententiae quam chorus expressit: *τὸ διπλάζον μεῖζον κακόν.* Itaque scribendum est:

ἦ δίσσ' ἄρ' οὐ νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν.

Quae ut obscurius dicta non intelligens chorus: *πῶς τοῦτ' ἔλεξας; οὐ κάτοιδ' ὅπως λέγεις.* Ac Tecmessa explicata rei ratione ac sententia sua, cuius summa in vv. 275. 76. inest, sua ipsius verba v. 269. *ἦ δίσσ' ἄρ' — νῦν* respiciens: *ἆρ' ἔστι ταῦτα δὶς τόσ' ἐξ ἁπλῶν κακά;*

Vv. 403. ss. Libri: *ποῖ τις οὖν φύγῃ;*
ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖς δ' ὁμοῦ πέλας,
μωραῖς δ' ἄγραις προςκείμεθα,
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι.

In his corruptum esse v. 406. etiamsi non sententiae obscuritate appareret, vel antistrophae quae respondent verba v. 424. s.: *τινα Τροία στρατοῦ*, quamquam ne ipsa quidem integra, demonstrarent. Longum est virorum doctorum coniecturas recensere quarum nulla satisfaciat. Itaque statim quid mihi videatur proponam. Nam simul correcta ad antistropham versuum ratione scribendum puto:

εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τοῖος δ',
οἴμοι, γέλως, μωραῖς δ' ἄγραις προςκείμεθα.

Partem veri iam Thierschius vidit scribens *τοῖς δ' ὁμοῦ γέλως μώραις γ' ἄγραις προκείμεθα.* Quae Aiax queritur, in duas partes bipartitas discedunt: vindictam quam quaesierit (*τὰ μὲν*) perisse, pro eo magnum risum se et ludibrium factum esse; stultam praedam quidem se fecisse, sed eius rei exercitui Graecorum nece sua poenas daturum. Si forte correpta prima pronominis *τοῖος* offendat, scribendum erit *τόσος*. Pro *ὁμοῦ* coniici possit *ἐγώ* vel *ἐμοῦ*, idque sane facilius videtur; sed quia in antistropha *Τροία* respondet, tanta poetae aequalitatis syllabarum cura *οἴμοι* praefero, eandemque ob causam fortasse *προςήμεθα* scribendum, cfr. v. 309. 311. 325. De *οἴμοι* cfr. v. 367.: *οἴμοι γέλωτος*. Ad *γέλως* int. aut *εἰμί, ἐσμέν* (cfr. Ovid. Fast. I., 438.: *deus — omnibus — risus erat*), aut *ἐστί*. Totum igitur locum sic interpretor: *si illa quidem* (vindicta) *pereunt, sed talis* (vel *tantus*, trucidatas pecudes monstrans) *vae! risus sum, stultaeque praedae assideo, totus autem exercitus armatus manu me interficiat.* In antistropha v. 424. ex Hermanni olim coniectura legendum *οἷον οὔτιν' ἁ Τροία*, pro *οὔτινα*.

V. 571.: *μέχρις οὗ μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ.*

Hunc versum cum alii ut spurium condemnent, alii correcto primi pedis vitio scribentes *ἔςτ' ἂν μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ* tueantur, ego illis assentior. Nam primum quamquam *ἔςτ' ἂν* interdum per *μέχρις οὗ* explicatum est, tamen apud Sophoclem certe neque *ἔςτε*, neque *ἔςτ' ἂν* alibi ita mutatum. Sed quod maius est, non recte mihi Aiacis parentes, nisi ipsi sibi mortem consciscant, dici videntur *μυχοὺς τοῦ κάτω θεοῦ κιχεῖν*. Nam etsi etiam v. 657. *μολών τε χῶρον ἔνθ' ἂν ἀστιβῆ κίχω*, et Eur. Bacch. 896. Herm. *λιμένα δ' ἔκιχεν*, hoc verbum cum loci accusativo iunctum est, tamen utrubique petitur locus ille et quaeritur, ut Aiax quidem dici possit *μυχοὺς κιχεῖν τοῦ κάτω θεοῦ*, parentes eius non item. Quodsi haec recte disputavi, merito iste versus a viris doctissimis condemnatus est.

V. 798. s.: *τήνδε δ' ἔξοδον*
ὀλεθρίαν Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν,
et v. 800. s.: *τοῦ Θεστορείου μάντεως, καθ' ἡμέραν*
τὴν νῦν ὅτ' αὐτῷ θάνατον ἢ βίον φέρει,

consensu libri, nisi quod v. 801. pro *ὅτ'* Laur. b. Flor. *Γ.* Pal. Mosq. b. Ien. *ἧτ', Δ. ἡ τ'* et *φέρειν*. Horum versuum explicatio quae omnibus probetur nondum est prolata. Mihi sic videtur scribendum:

τήνδε δ' ἔξοδον
ὀλέθρι' ἀμφ' Αἴαντος ἐλπίζειν φέρειν,

hunc exitum funestam de Aiace spem afferre; et

τοῦ Θεστορείου μάντεως· καθ' ἡμέραν
τὴν νῦν ἔτ' αὐτῷ θάνατον ἢ βίον φέρειν.

Prima verba *τοῦ Θεστ. μάντεως* respondent ad haec v. 600.: *τοῦ ποτ' ἀνθρώπων μαθών*; iis quae sequuntur nuntius inceptam v. 798. orationem persequitur; ut recte dicatur *φέρειν*, cuius subiectum est *τήνδε ἔξοδον*. Ad *ἔτ'* pro *ὅτ'* ducit librorum quos dixi scriptura *ἦτ'*.

V. 960.: *ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, ἢ κείνοις γλυκύς.*

Recte se omnia habent, modo pro *ἢ* cum La. scribatur *ἦ* et interrogative quidem:

ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν· ἦ κείνοις γλυκύς;

mihi mors eius acerba est: num illis gaudii causa? cfr. v. 962 s.. Ceterum cfr. Eur. Suppl. 1222: *πικροὶ γὰρ αὐτοῖς ἥξετ' ἐκτεθραμμένοι.*

V. 994. s.: *ὁδός θ' ὁδῶν πασῶν ἀνιάσασα δὴ*
μάλιστα τοὐμὸν σπλάγχνον.

Pro *πασῶν* cum La. Lb. *Γ. Δ.* Pal. alii habeant *ἁπασῶν*, nescio an scribendum sit:

ὁδῶν θ' ἁπασῶν ἤδ' ἀνιάσασα δὴ —.

Cfr. Trach. 875.: *βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην ὁδῶν ἁπασῶν ἐξ ἀκινήτου ποδός.*

V. 1031.: *ἐγνάπτετ' αἰέν, ἔςτ' ἀπέψυξεν βίον.*

Sophocles si Homeri de Hectoris morte narrationem secutus est, scripsisse mihi videtur:

ἐγνάπτετ' αἰνῶς, εὖτ' ἀπέψυξεν βίον.

V. 1366.: *ἢ πάνθ' ὅμοια· πᾶς ἀνὴρ αὑτῷ πονεῖ.*

Recte sic Hermannus alterum scholiastam secutus: *ὄντως πάντα τὰ ἀνθρώπων ὅμοια· πᾶς γὰρ ἄνθρωπος τὴν οἰκείαν πραγματεύεται σωτηρίαν*, modo is diceret potius: *πάντες οἱ ἄνθρωποι ὅμοιοι. Πάνθ'* aut *ἅπανθ' ὅμοια* in proverbio erat; cfr. Suid. v. *Ῥοδῶπις* et Bekker. Anecdd. I. p. 416, 7.: *ἅπανθ' ὅμοια, καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλή*, et Terent. Phorm. II. 1, 34:

Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Unum cognoris, omnis noris.

ELECTR. v. 21. s. Simplicissima et maxime probabilis emendandi ratio mihi haec videtur, ut scribatur:

ὡς ἔνθ' (vel *ἵν'*) *ἕσταμεν,*
οὐκ ἔστ' ἔτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή. Cfr. Oed. R. 1442. s..

V. 112. ss. Cum aperte in verbis *αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε, τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους* turbatum sit et quaedam omissa (nam antistrophica haec esse mihi persuasum est), fortasse poetae manus restituetur sic scribendo:

σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐρινύες,
αἳ τοὺς ἀδίκως θνήκοντας ὁρᾶτ',
ἐςορᾶτε δὲ τοὺς αἰκῶς εὐνὰς
ὑποκλεπτομένους —.

Facile intelligitur, qui factum sit ut *ὁρᾶτε* pro *ὁρᾶτ' ἐςορᾶτε* relinqueretur, atque *ἀδίκως* post prius *τούς* positum causam fuisse *αἰκῶς* post alterum *τούς* omittendi.

V. 495. ss.: *πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει,*
μήποτε, μήποθ' ἡμῖν
ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.

Haec verba quocunque modo explices difficultate laborant, nec dubito quin corrupta sint. Legendum:

πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει,
μήποτε, μήποθ' ἥκειν
ἀψεγὲς μέλαν τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.

Iam omnia plana et aperta. Infaustum Clytaemnestrae somnium dicitur *μέλαν τέρας*, neque id ita venisse ut interfectores eo gaudeant, non laeta portendens venisse. Similiter atque hic *ἥκειν* et *ἡμῖν*, sic Oed. Col. 1021. *ἥκων* et *ἡμῶν* confusa. Legendum est enim: *ἵν', εἰ μὲν ἐν τόποισι τοῖσδ' ἔχεις τὰς παῖδας, ἥκων αὐτὸς ἐκδείξῃς ἐμοί.* Idem nuper vidit A. Nauckius.

V. 600. s.: *ὁ δ' ἄλλος ἔξω, χεῖρα σὴν μόλις φυγών,*
τλήμων Ὀρέστης, δυστυχῆ τρίβει βίον.

Mihi pro *ἄλλος*, quod ferri non posse iam alii intellexerunt, scribendum videtur *αὖ τότ'*:
ὁ δ' αὖ τότ' ἔξω χεῖρα σὴν μόλις φυγών, —.

Etiam v. 749. *ἄλλος* male positum in libris:
ἠλαυνέτην, τότ' ἄλλος, ἄλλοθ' ἅτερος
κάρα προβάλλων ἱππικῶν ὀχημάτων.

Scribendum: *ἠλαυνέτην, ὅδ' ἄλλοτ', ἄλλοθ' ἅτερος —.*

Ὅδε Orestes. Opposita sunt verba per chiasmum.

V. 853. Pro *εἴδομεν ἃ θροεῖς* metri causa coniicio *εἴδομεν ἀνθρηνεῖς*, i. e. *ἃ ἀναθρηνεῖς*. *θροεῖν* et *θρηνεῖν* confusa etiam Ai. 582..

V. 1060. s. malim: *ἀφ' ὧν τε βλάστωσ', | ἀπό θ' ὧν ὄνησιν εὕρωσι* pro *ἀφ' ὧν τε βλάστω | σιν ἀφ' ὧν τ' ὄνησιν εὕρωσι.* — Quod v. 1075. Schneidewinus E. Hoffmannum coniecisse dicit *Ἠλέκτρα τόσ' ἀεὶ πατρὸς | δειλαία στενάχουσ'*, idem ego quoque reponendum censueram pro *τὸν ἀεί.*

V. 1391. ss.: *παράγεται γὰρ ἐνέρων*
δολιόπους ἀρωγὸς εἴσω στέγας,
ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια,
νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων.

Ultimi versus depravatio iam perantiqua est, cum inde perversa nominis *αἷμα* explicatio, qua id pro *ense* positum dicitur, orta sit. At talibus machinis non est opus. Scribendum:
νεοκόνητον αἷμα χειροῖν χέων.

Orestes in domum adducitur novum sanguinem manibus profusurus, novam caedem facturus. Ac *νεοκόνητον* quidem recte iam Hermannus cum Schol. Rom. lemmate, sed quod explicat: *recens profuso sanguine manus conspersas habens*, magnopere errat; nam caedes nondum est facta, sed futura. Vera scriptura *νεοκόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων* sic tantum posset esse, si *χειροῖν ἔχων* dictum esset pro *ἐν χεροῖν ἔχων*, *parans novam caedem;* minus aptum tamen ita foret *νεοκόνητον* epitheton de futura caede. Sed recepto illo *νεοκόνητον* scribendum *χέων*, ut sit futuri participium. De futuro *χέω* vid. Buttmann. Gr. ampl. II. p. 436. ed. 1., p. 325. ed. 2.. Exemplis ibi allatis addatur Aristoph. Lys. 197.. Aoristi *ἔχεα* et futuri *χέω* eadem est ratio quae epicarum formarum aoristi *ἔχευα*, futuri *χεύω*.

V. 1422. s.: *καὶ μὴν πάρεισιν οἵδε· φοινία δὲ χεὶρ*
στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ' ἔχω λέγειν.

Corrupta ultima esse omnes consentiunt, sed neque *ψέγειν* Erfurdtii, neque *στέγειν* Reisigii, neque *βλέπειν* Arndtii pro *λέγειν* probari potest. Mihi scribendum videtur:
φοινία δὲ χεὶρ
στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδέ πω'ν τέλει,

cruenta manus a Martis hostia, i. e. *a caede*, *stillat necdum rem absolvit, ist noch nicht am Ende*, *noch nicht fertig*, nam Aegisthi restat caedes. Cfr. Aesch. Prom. 742.: *οὓς γὰρ νῦν ἀκήκοας λόγους, εἶναι δόκει σοι μηδέπω'ν προοιμίοις.* Sin pariter ac passivi praesens v. 1344. *τελουμένων εἴποιμ' ἄν*, et Eur. Andr. 998.: *τελουμένων δὲ Δελφὶς εἴσεται πέτρα*, pro *τετελεσμένων* vel *τελεσθέντων, τέλος ἐχόντων*, sic activi *τελεῖν* pro *τελέσαι, τετελεκέναι, τέλος ἔχειν* ponatur, scribi possit *οὐδέ πω τελεῖ.*

OEDIP. REG. v. 100. s.: ἀνδρηλατοῦντας, ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
λύοντας, ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν.

Τόδε Schneidewinus explicat *a deo significatum*, ut ex iis quae dicta essent intelligi potuerit. At neque *μίασμα χώρας* v. 97., neque *φόνον* v. 100. huic explicationi favet, neque ex praegressa oratione pronomen explicari potest. Pro *τόδ'* scribendum *τόσ'* cum *χειμάζον* iungendum; cfr. Oed. Col. 1504.: *πάντα γὰρ θεοῦ τοιαῦτα χειμάζοντος εἰκάσαι πάρα*. *Αἷμα* nihil est nisi *φόνον* v. 100, et verba *ὡς τόσ' αἷμα χειμάζον πόλιν* causam afferunt horum: *ἀνδρηλ., ἢ φόνῳ φόνον πάλιν λύοντας*.

V. 198. s.: τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ,
τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται.

Τέλει cum neque pro *τελέως* dictum esse possit et pro *ἐν τέλει* positum languidum sit, Schneidewinus et Nauckius ex Kayseri et Ieepii coniectura scripserunt: *τελεῖ γάρ· εἴ τι νὺξ ἀφῇ* cett.: *conficiet enim nos Mars, totam Thebanorum civitatem depopulabitur, nisi vos opem feretis;* (nam) *si quid nox dimiserit, id dies invadit.* Apta quidem est haec sententia, sed *γάρ* particula quam illi supplent nullo pacto omitti poterat; ac praeterea tum cum Hermanno pro *ἐπ'* scribendum *ἔπ'*, nam tmesi locum esse non puto. Cfr. tamen Lehrs. Quaestt. epp. p. 76.. Ego et sententiae causa et ut metri aequalitas restituatur scribendum arbitror:

φέγγει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ,
τοῦτ' ἔπ' ἦμαρ ἔρχεται,

luci (i. e. *vitae) enim si quid nox permiserit* (i. e. *si cui nox pepercerit)*, *id dies invadit.*

Vv. 476. ss.: φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πετραῖος ὁ ταῦρος.

Sic La., ut Hermannus coniectura reposuerat, cum ceteri libri vel *πετραῖος ὡς*, vel *πέτρας ὡς*, vel *πέτραις ὡς* habeant. Sed articulum ferri non posse iam alii monuerunt, eamque ob causam Nauckius Dorvillii coniecturam *πέτρας ἅτε ταῦρος* cum aliis quibusdam recepit. In La. scriptura leve vitium commissum est; scribatur: *ἀνά τ' ἄντρα καὶ πέτρας ἰσόταυρος*.

V. 822. s.: ἆρ' ἔφυν κακός;
ἆρ' οὐχὶ πᾶς ἄναγνος;

Ἄρα interrogativum quamquam per se sic poni potest, ut sententia sit affirmativa, tamen hic offendit, cum deinceps in eandem sententiam *ἆρ' οὐχί* dicatur. Itaque coniicio:

ἆρ' ἐγὼ οὐ κακός;

OEDIP. COL. v. 47. s.: ἀλλ' οὐδ' ἐμοί τοι τοὐξανιστάναι πόλεως
δίχ' ἐστὶ θάρσος, πρίν γ' ἂν ἐνδείξω τί δρῶ.

Οὐδ' ἐμοί τοι nunc plerique recte ex Seidleri coniectura pro *οὐδὲ μέντοι* aut *οὐδ' ἐμόν τοι*. *Ἐνδείξω* libri omnes et schol., sed hoc verum esse non potest. Nam Schneidewini explicatio: *bevor ich den Fall zur Anzeige bringe und (anfrage) was ich thun soll*, non potest admitti, cum id verbum omissum sit, quod neque deesse neque ex *ἐνδείξω* intelligi potest. Iusto audacius A. Nauckius coniecit:

ἀλλ' οὐδ' ἐμόν τοι τοὐξανιστάναι (σ' ἕδρας)
πόλεως δίχ' ἐστί, πρίν γ' ἂν ἐνδείξω τι(νί.)

quem in tradita scriptura articulus infinitivo additus (*τοὐξανιστάναι*) offendit iniuria; nam si *θαρσῶ τὸ μάχεσθαι* dicere licet, licet etiam *θάρσος ἐστί μοι*, i. e. *θαρσεῖταί μοι τὸ μάχεσθαι*; neque *πόλεως* cum illo perperam positum dixerim, modo post *τοὐξανιστάναι* vox paullisper requiescat. Neque vero Schneidewini coniectura *πρίν γ' ἂν ἐνδείξῃ* (*ἡ πόλις*) *τί δρῶ* probari potest. Mendum ex traiectis litteris ortum est; scriptum enim fuisse videtur: *πρίν γ' ἂν ἐξειδῶ τί δρῶ*.

V. 113. s.: *σιγήσομαί τε, καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα*
κρύψον κατ' ἄλσος.

Nulla hic fuit causa Nauckio de *τέ* particula dubitandi, non magis quam v. 494, ubi pariter offendit. Idem fere est ac: *σιγήσομαί τε καὶ σοῦ ἡγουμένης κρύψω ἐμαυτόν, ἠκούσαμέν τε καὶ δράσομεν ὅ τι προστάξεις.* Sed corruptum est *πόδα*; nam Hermanni coniectura: *καὶ σύ μου'ξ ὁδοῦ πόδα κρύψον,* merito non satisfecit. Sed nec Schneidewini *πέρα* pro *πόδα* nec quod paullo melius est Karajani *πέλας* probari potest. Scribendum: *καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ τόδε | κρύψον κατ' ἄλσος.* Cfr. v. 98..

V. 277. s.: *καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς*
μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς.

Sic plerique cum Triclinio; veteres libri *μοίραις*, unus *μοίρας*. Recte dictum foret *ἐν μοίρᾳ ποιεῖσθαι μηδεμιᾷ, μοῖραν μηδεμίαν*; *ἐν μοίρᾳ* aut *μοῖραν ποιεῖσθαι μηδαμῶς* recte dici non puto nisi genitivo ad *μοίρᾳ* vel *μοῖραν* addito. Sed ut hoc mittam, vereor ne contrarium dictum sit eius quod dicendum erat: nam *μὴ τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς* est: *nolite deos in ullo numero habere*, cum dicendum esset: *nolite eos in nullo numero habere.* Itaque multo praestat quod Nauckius ex coniectura dedit: *καὶ μή, θεοὺς τιμῶντες, εἶτα τοὺς θεοὺς μαύρους ποιεῖσθε μηδαμῶς*; sed virum doctissimum spero mihi assensurum scribenti:

καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς
μείους ποιεῖσθε μηδαμῶς.

De sententia cfr. Aesch. Suppl. 888. Herm., Soph. Phil. 992..

V. 309.: *τίς γὰρ ἐσθλὸς οὐχ αὑτῷ φίλος;*

Nauckius *ἐσθλός* nomine offensus dedit: *τίς γὰρ ἔσθ' ὃς οὐχ αὑτῷ φίλος;* At pro *ὅς* in generali sententia debebat esse *ὅστις*, ut Oed. R. 463. Thuc. 3, 39, 6. Scribendum igitur erat potius: *τίς γὰρ ὅστις οὐχ αὑτῷ φίλος;* ut Men. mon. 407.: *οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ὅστις οὐχ αὑτῷ φίλος.* Cfr. Aiac. 1366. 67..

V. 525. s.: *κακᾷ μ' εὐνᾷ πόλις οὐδὲν ἴδριν*
γάμων ἐνέδησεν ἄτᾳ.

Libri *μὲν εὐνᾷ*, Lb. *μ' εὐνᾷ*, ut a me et ab aliis coniectum erat, ac vulgo nunc sic editur. Corrupta tamen illa puto; nam quod Schneidewinus *κακᾷ εὐνᾷ* et *γάμων ἄτᾳ* pari ratione dicit ad *ἐνέδησεν* referenda esse, sed alterum prioris sententiam vehementius exprimere, mihi non probatur; neque vero *κακᾷ εὐνᾷ* pro instrumenti dativo haberi potest. Scholiasta quid legerit, non apparet. Mihi scribendum videtur:

κακᾷ μοίρᾳ πόλις οὐδὲν ἴδριν
γάμων ἐνέδησεν ἄτᾳ;

nam pronomine *με* facile carere possumus, sin minus, post *γάμων* potest inferri. *Κακῇ μοίρᾳ* id factum dicit, quia et Laio patri et ipsi oraculo praedictum erat, Oed. R. 791. Similiter v. 547. pro

καὶ γὰρ ἄλλους ἐφόνευσα καὶ ὤλεσα·
νόμῳ δὲ καθαρὸς ἄϊδρις εἰς τόδ' ἦλθον,

legam *μοίρᾳ ἀλοὺς ἐφόνευσα καὶ ὤλεσα,* cfr. Oed. R. 713. 793. Ceterum cum vv. 525. 26. et 547. 48. sententiae sibi respondeant, probabile est v. 523. pro *αὐθαίρετον,* quod neque metro neque sententiae convenit, scribendum esse *ἀκάθαρτον,* (cf. *καθαρὸς* v. 548.) quod etiam G. Wolffium coniecisse ex Nauckii annotatione intelligo. Praeterea in hoc *κομμῷ* pariter ac Nauckius v. 516. pro *ἀναιδῆ* malim *ἄναυδα,* v. 521. pro *ἤνεγκον ἄκων* scribendum puto: *ἤνεγκον ἄδην.*

V. 755. ss.: *ἀλλ' οὐ γὰρ ἔστι τἀμφανῆ κρύπτειν, σύ νυν*
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
κρύψον.

Nauckius merito negans recte dici: *quoniam manifesta celari nequeunt, absconde*, *κρύψον* vitiosum esse putat. Mihi vitium in *οὐ γάρ* esse videtur scribendumque: *ἀλλ' εἴπερ* aut minori mutatione *εἰ γάρ ἐστι τἀμφανῆ κρύπτειν.*

V. 1221. ss. Antistrophae numerorumque aequalitatis ratione habita verba *Ἄϊδος ὅτε μοῖρ' ἀνυμέναιος, ἄλυρος, ἄχορος* transponenda videntur, quod quo facilius recte fieri intelligatur, antistrophica iuxta apponam:

ὁ δ' ἐπίκουρος ἰσοτέλεστος,	*τό τε κατάμεμπτον ἐπιλέλογχε*
ἄλυρος, ἄχορος, ἀνυμέναιος	*πύματον ἀκρατὲς ἀπροσόμιλον*
μοῖρ' ὅτ' Ἄϊδος ἀναπέφηνε, —.	*γῆρας ἄφιλον, ἵνα πρόπαντα.*

V. 1305. Polynices cum nihil adhuc de exercitu dixerit, non intelligo quid articulus sibi velit in verbis:

ὅπως τὸν ἑπτάλογχον ἐς Θήβας στόλον
ξὺν τοῖσδ' ἀγείρας ἢ θάνοιμι πανδίκως
ἢ τοὺς τάδ' ἐκπράξαντας ἐκβάλοιμι γῆς.

Itaque *ὅπως ἂν* scribendum (cfr. Matth. Gr. §. 520. n. 2. p. 1191. ed. 3.). Sed cum infra vv. 1311. legamus:

οἳ νῦν σὺν ἑπτὰ τάξεσιν σὺν ἑπτά τε
λόγχαις τὸ Θήβης πεδίον ἀμφεστᾶσι πᾶν,

suspicio oriri potest, aut tres illos versus, aut hos duo ab aliena manu insertos esse, et hos quidem etiam propterea quia propter Creontis modo factam expeditionem Polynicis copias in itinere potius esse putabimus quam iam Thebas cinxisse.

V. 1336.: *ἄλλους δὲ θωπεύοντες οἰκοῦμεν σύ τε | κἀγώ.* Cum certe Polynices non possit dici habitare, neque illud esse possit *vitam degimus*, Nauckius coniecit *ἥκομεν*; mihi scribendum videtur *αἰτοῦμεν*, quod cum *θωπεύοντες* optime convenit. Ceterum v. 1333. quod Nauckio, idem mihi in mentem venit, pro *κρηνῶν* scribendum esse *Θηβῶν*.

V. 1358. s.: *ὅτ' ἐν πόνῳ*
ταὐτῷ βεβηκὼς τυγχάνεις κακῶν ἐμοί.

Non sine iusta causa Reiskius in verbis *ἐν πόνῳ-κακῶν* offensus coniecit *βυθῷ* pro *πόνῳ*, quod cum Nauckius commemorandum esse duxit, ipse quoque videtur offendere. Pro *πόνῳ* fortasse fuit *κλόνῳ*; cf. v. 1241. 1244..

V. 1390. In verbis *καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου | στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος* quod Nauckius pro *πατρῷον* scribendum putat *κάτωθεν*, mihi quoque visum erat.

Vv. 1418. s.: *ἀλλ' οὐχ οἷόν τε. πῶς γὰρ αὖθις αὖ πάλιν*
στράτευμ' ἄγοιμι ταὐτὸν εἰςάπαξ τρέσας;

Ταὐτόν cum sine dubio corruptum sit, Nauckius reposuit *ἄγοιμ' εὔτακτον*; ego faciliori mutatione conieceram *ἄγοιμι τακτόν*, *instructum*, ergo ad pugnam paratum.

V. 1421.: *τί δ' αὖθις, ὦ παῖ, δεῖ σε θυμοῦσθαι;*

Αὖθις, iterum, quamquam Hermannus satis probabiliter explicavit, tamen nescio an scribendum sit:

τί δ' αὖ τόσ', ὦ παῖ, δεῖ σε θυμοῦσθαι;

V. 1435. s.: *σφῷν δ' εὖ διδοίη Ζεύς, τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι*
θανόντ', ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ' αὖθις ἕξετον.

Longum est virorum doctorum de his verbis sententias et coniecturas enumerare; nuper vero fuerunt, qui difficultatem eiiciendo v. 1436. tollendam censerent. At nondum animadversum est *τάδε* v. 1435. vix rectum esse posse, cum humationis mentio v. 1410. remotior sit ac de plane diversis rebus postea sermo fuerit,

ut *τάδε* vix ad illas sepulturae preces referri possit. Sed etiam ad plura mihi vitium pertinere videtur, et, quamquam dubitans, sic fere scriptum fuisse puto:

σφῷν δ' εὖ διδοίη Ζεύς, φίλ' εἰ τελεῖτέ μοι
θανόντι· καὶ γὰρ ζῶντί γ' οὐκέθ' ἕξετον.

V. 1454. s.: *ὁρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ἐπεὶ μὲν ἕτερα,*
τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις αὔξων ἄνω.

Hic locus multum vexatus mihi sic emendandus videtur, ut pro *ἐπεί* scribatur *ἔτει*, praetereaque, ut iam alii voluerunt *αὐτίκ'* pro *αὖθις*:

ὁρᾷ (f. *ὁρᾷ δ'*), *ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ἔτει μὲν ἕτερα,*
τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὐτίκ' αὔξων ἄνω.

Videt (i. e. curat ut eventum habeant) *haec* (*τὰ τῶν θεῶν ἀξιώματα*, *deorum oracula*, ut non *πάντ'* sit scribendum) *semper tempus*, *anno* (i. e. post longius temporis spatium) *alia*, *alia ipso statim die* (intra brevissimum tempus) *sursum extollens* (ad exitum adducens). Ut hic *ἔτει*, sic nostrates dicunt *in Jahr und Tag*. Oracula quamdiu nondum evenerunt, quasi semina et germina parva sunt et latent (cfr. Hor. Carm. III. 29. 30.: futuri temporis exitum — nocte premit deus); cum eventum habent, quasi in altum crescunt.

V. 1551.: *ἤδη γὰρ ἕρπω τὸν τελευταῖον βίον*
κρύψων παρ' Ἅιδην.

Τελευταῖον quominus, ut Schneidewinus censet, proleptice accipiatur, articuli sedes prohibet, in quo genere vir doctissimus saepius peccavit. Turbatum aliquid hic esse certum mihi videtur. Itaque aut elegans Musgravii coniectura admittenda mihi videtur: *ἤδη γὰρ ἕρπω τὴν τελευταίαν, βίον κρύψων παρ' Ἅιδην*, aut scribendum: *ἤδη γὰρ ἕρπω τόνδε δείλαιον βίον κρύψων παρ' Ἅιδην.*

Carmen ex parte corruptissimum vv. 1557—1578. cum ex aliorum tum ex meis coniecturis sic scribendum mihi videtur:

στρ.

Εἰ θέμις ἐστί μοι τὰν ἀφανῆ θεὸν
καὶ σὲ λίταις σεβίζειν,
ἐννυχίων ἄναξ,
Αἰδωνεῦ, Αἰδωνεῦ, λίσσωμαι,
ἐπιπόνῳ μήτ' ἐπὶ βαρυαχεῖ
ξένον ἐξανύσαι
μόρῳ τὰν παγκευθῆ κάτω
νεκρῶν πλάκα καὶ Στύγιον δόμον.
πολλῶν γάρ οἱ κἀμάχων
πημάτων ἐπορμένων
πάλιν σφε δαίμων δίκαιος αὔξοι.

ἀντ.

ὦ χθόνιαι θεαί, σῶμά τ' ἀεικότου
θηρός, ὃν ἐν πύλαισι
φασὶ πολυξένοις
εὐνᾶσθαι κνυζᾶσθαί τ' ἐξ ἄντρων
ἀδάματον φύλακα παρ' Ἀΐδᾳ
λάχος αἰὲν ἔχειν,
τόν, ὦ Γᾶς παῖ καὶ Ταρτάρου,
κατεύχομαι ἐν καθαρῷ μένειν
ὁρμωμένῳ νερτέρας
τῷ ξένῳ νεκρῶν πλάκας.
σέ τοι κικλήσκω τὸν αἰένυπνον.

Ut omittam quae iam Brunckius correxit, v. 1560. cum Dindorfio dedi *λίσσωμαι* pro *λίσσομαι*, v. 1561. ex Erfurdtii coniectura cum aliis *ἐπιπόνῳ* pro *μήτ' ἐπιπόνῳ*, v. 1565. ipse scripsi *γάρ οἱ* pro *γὰρ ἄν*, quia optandi forma mihi aptior videtur; sin nihil hic mutandum censeas, *ἄν — δαίμων δίκαιος αὔξοι* sic accipiendum: *δαίμων εἰ δίκαιος εἴη, αὔξοι ἄν*. Tum v. 1566. de mea coniectura scripsi *κἀμάχων* pro *καὶ μάταν* (cfr. Aesch. Ag. 707. *ἄμαχον ἄλγος*, Pind. Pyth. 2, 139. *ἄμαχον κακόν*), et *ἐπορμένων* pro *ἱκνουμένων*, et v. 1567. *σφε* Reiskii emendationem cum aliis pro *σε*. In antistropha v. 1568. pro *ἀνικάτου* Hermannus apte *ἀμαχάνου*, Hesiodum secutus Theog. 310; ego librorum scripturam artius premendam ratus *ἀεικότου* scripsi; v. 1570. cum aliis pro *πολυξέστοις* ex Musgravii coniectura *πολυξένοις*, v. 1571. cum Hermanno propter stropham praetuli *κνυζᾶσθαί τ'* alteri scripturae *κνυζεῖσθαί τ'*, quo facto

ut in stropha ter *ῶ*, ita hic ter *ᾱ* in arsi est, v. 1572. cum Hermanno aliisque *Ἀΐδᾳ* pro *Ἀΐδα*, v. 1573. ex Schneidewini coniectura *λάχος αἰὲν ἔχειν* pro *λόγος αἰὲν ἀνέχει* vel *ἔχει*, v. 1574. cum Hermanno *τόν* pro *ὅν*, non tamen ut ille hiatus vitandi causa, qui iam nullus est, sed ut demonstrativum illud esset; denique v. 1575. ego dedi *μένειν* pro *βῆναι*: *is precor ut puro loco maneat*, i. e. *ubi solus sit nec congrediatur cum Oedipo, non obvius sit ad inferos descendenti, ne descensum eius impediat;* cfr. Hom. Il. *χ*, 491. *ψ*, 61..

Quod Nauckius Proserpinam *τὰν ἀφανῆ θεόν* dici omninoque in hoc nexu commemorari eiusque invocationem ad quam verba *λιταῖς σεβίζειν* praeparent omitti miratur, dea illa eodem iure *ἀφανὴς θεός* vocatur, ut Aiac. v. 607. *ἀΐδηλον Ἅιδαν* legimus, aut quoniam hoc dubiae significationis videri potest, Aesch. Sept. v. 837. de orco: *τὰν ἀνάλιον πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον*, et ipse Pluto *Ἀΐδης* vocatur; et quidni illa pariter hic ac Pluto, cuius regni socia est, invocetur? Neque omissa est eius invocatio, cum *λίσσωμαι* (ad quod supplendum est *ὑμᾶς*) *ἐπιπόνῳ — δόμον* ad utrumque deum referatur. In antistropha oratio sic variatur, ut postquam Cerberus compellatus est, tum v. 1574. s. quia Mortis invocatio intercedit, de illo tertia persona adhibeatur: *τόν — πλάκας*, quod post relativam enuntiationem *ὅν — ἔχειν* facile fieri potuit. Neque *ἐξ ἄντρων*, ut Nauckio videtur, alienum est, cum Cerberus in specu quasi in tugurio excubans cogitandus sit. Metrum autem strophae non repugnat, si ex facili Dindorfii emendatione *λίσσωμαι* scribitur; qui coniunctivus non Homeri modo sed etiam tragicorum usu abunde comprobatus est.

V. 1619. Quod La. habet: *τὸ* (*τὸν* Cob.) *λοιπὸν ἤδη βίοτον διάξετον*, mihi ad hanc scripturam ducere videtur:

τὸ (*τὸν*) *λοιπὸν ἤδη βίοτον αἰὲν ἄξετον.*

V. 1640. s.: *ὦ παῖδε, τλάσας χρὴ τὸ γενναῖον φρενὶ*
χωρεῖν τόπων ἐκ τῶνδε.

Φρενί sine adiectivo nimis nudum et ieiunum est, neque aut *τὸ γενναῖον* pro *γενναίως* recte dictum, aut Hermanni explicatio: *id quod generosum est animo subeuntes* probanda, diversumque est Eur. Alc. 627.: *ἔργον τλᾶσα γενναῖον τόδε.* Itaque si *φρενί* verum est, fortasse legendum: *τλάσας χρὴ τόδ' εὐγενεῖ φρενί.* Sed cum La. Par. F., cod. Par. Triclinianus pro *φρενί* habeant *φέρειν*, scribendum censeo:

ὦ παῖδε, τλάσας χρὴ τό γ' ἔμπαιον φέρειν
χωρεῖν τόπων ἐκ τῶνδε,

sustinentes id quod incidit ferre, entschlossen das einmal Eingetretene zu tragen müsst ihr von hier gehen. Cfr. Aesch. Ag. 174.: *ἐμπαίοις τύχαισι συμπνέων*, v. 332.: *εἰ πρόςπαια μὴ τύχοι κακά.*

De extremo huius fabulae carmine nunc hoc unum moneo, v. 1752., ut Nauckius recte vidit, nondum esse persanatum; nam quod pro *ξυναπόκειται* recentiores cum Reisigio reposuerunt *ξύν' ἀπόκειται*, non apparet quomodo hoc cum *χάρις ἡ χθονία* conveniat. Nam quod Hermannus dicit: »*Quid apertius, quam sensum esse, in quo statu et mortuo et superstitibus accepta sit mors, non esse lugendum?*« de superstitibus quidem filiabus verum non esse utriusque lamentationes demonstrant; cfr. 1709. ss.. Sed facillima est emendatio; peccatum enim est duarum litterarum transpositione. Scribendum:

παύετε θρήνων (v. *θρῆνον*), *παῖδες· ἐν οἷς γὰρ*
χάρις ἡ χθονία νὺξ ἀπόκειται,
πενθεῖν οὐ χρή· νέμεσις γάρ.

Ἡ χθονία νύξ mors dicitur; sensus igitur est: *in quibus* (rebus) *mors beneficii loco reponitur, pro beneficio accipitur, non est lugendum.* Potest tamen *οἷς* etiam masculino genere accipi, ut sit in quibus hominibus, et *ἐν* germ. *bei* vertatur; atque pro *ἐν οἷς* etiam simplex dativus *οἷς* poni poterat.

ANTIG. v. 89.: *ἀλλ' οἶδ' ἀρέσκουσ' οἷς μάλισθ' ἁδεῖν με χρή.*

Libri cum *μάλιστ' ἁδεῖν* habeant, Schneidewinus Aeolicam formam *μάλιστ' ἀδεῖν* dedit. At haec non

magis apud tragicos locum habet quam *χρέσσων* Ai. 635.. *Ἀδεῖν* cum apud tragicos alibi quod sciam non legatur, scribendum censeo:

ἀλλ' οἶδ' ἀρέσκουσ' οἷς μάλιστα δή με χρή,

int. *ἀρέσκειν*. Sic apparet *μάλιστ* recte traditum esse.

V. 110. ss. Cum v. 112. non modo metrum excidisse quaedam demonstret, sed etiam verbum dèsit unde *ὃν* v. 110. pendeat, probabiliter poetae manus sic mihi restitui videtur:

ὃν ἐφ' ἁμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκης
ἀρθεὶς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων
ὦρσεν· κεῖνος δ' ὀξέα κλάζων —.

Vel similes vel eaedem v. 111. litterae *ἀρθεὶς νεικ.*, causa fuerunt cur quae inscrui *ὦρσεν κεῖνος δ'* exciderent. Similis fortasse fuit causa cur v. 156. post *Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμός* omitteretur *ταχθείς*, quia in sq. v. sub hac voce *συντυχίαις* erat, cum scriptum fuisset:

ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς χώρας
Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμὸς ταχθεὶς
νεαραῖσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις,
χωρεῖ.

Praeterea v. 211. s. legendum puto:

σοὶ ταῦτ' ἀρέσκει, παῖ Μενοικέως, ποιεῖν
τὸν τῇδε δύςνουν καὶ τὸν εὐμενῆ πόλει.

Ποιεῖν cum propter *πόλει* sq. v. excidisset, versus expletus esse videtur addito *Κρέον*.

V. 138. s.: Quod post Boeckhium editur:

εἶχε δ' ἄλλᾳ τὰ μέν,
ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα στυφελίζων μέγας Ἄρης
δεξιόσειρος,

et propter ieiunam sententiam v. 138, et propter productum *μέν* me male habet. Egregie Kayserus coniecit *ἔσχε δ' ᾅδα λαχάν*, modo scribatur *εἶλε*,

εἶλε δ' ᾅδα λαχάν.

Non Thebas quas volebat, Capaneus cepit, sed *ᾅδα λαχάν*. Sic Aesch. Sept. 889. *τάφων πατρῴων λαχαί*. *Δ'ΑΙΔΑΛΑΧΑΝΑΛΛΑΔ'* litterae facile errorem afferre potuerunt.

V. 150. s.: *ἐκ μὲν δὴ πολέμων*
τῶν νῦν θέσθε λησμοσύναν.

Hermannus: *ex hisce proeliis iam capite oblivionem*, int. eorum, quem Schneidewinus secutus est. At victoriae qua nunc gaudent modo mentione facta non recte *πολέμων τῶν νῦν* dicitur; vitii autem indicium est metrum, cum brevi alteri verbi *θέσθε* syllabae in stropha v. 137. longa syllaba respondeat. Nec tamen *θέσθε* cum Triclinio in *θέσθαι* mutandum, sed scribendum:

ἐκ μὲν δὴ πολέμων
τῶν νῦν θέσθε μνημοσύναν,

ex proeliis iam praesentia mementote, victoriae laetitiam; quibus aptissime subiiciuntur: *θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς παννυχίοις πάντες ἐπέλθωμεν.*

V. 233. s.: Legendum videtur:

τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν,
σοί, κεἰ τὸ μηδὲν ἐξερῶ, φράσονθ' ὅμως.

Vulgo *φράσω δ'*, quo admisso nec *σοί* suo loco est positum, nec *δέ*; et si *σοί* cum praecedentibus verbis

iungere velis, *κεὶ* non est aptum. Sed, ut ego scripsi, omnia patent. Ad *μολεῖν φράσοντα* int. *μέ*: *postremo vicit mihi ea sententia ut irem tibi — rem indicaturus.*

V. 556.: *ἀλλ' οὐκ ἐπ' ἀῤῥήτοις γε τοῖς ἐμοῖς λόγοις.*

Haec si recte scripta sunt, non quod Schneidewinus Boeckhium secutus putat significare possunt: vitam certe non tacitis meis rationibus elegi, nam hoc articuli sedes vetat, quae *ἀῤῥήτοις* non pro attributo, sed pro praedicato habere cogit (cf. Eur. Phoen. 527. Hrm. *οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς*; Demosth. c. Mid. §. 30. *νόμους ἔθεσθε πρὸ τῶν ἀδικημάτων ἐπ' ἀδήλοις μὲν τοῖς ἀδικήσουσιν, ἀδήλοις δὲ τοῖς ἀδικησομένοις*), sed quod ille improbat Hartungusque expressit: *nicht ohne meine Gründe darzulegen doch.* At haec sententia non est apta, apta vero quam Boeckhius expressit, sed *τοῖς* non recte habet. Scribendum enim est:

ἀλλ' οὐκ ἐπ' ἀῤῥήτοις γε τοῦτ' ἐμοῖς λόγοις,

τοῦτο, τὸ ζῆν.

V. 557.: *καλῶς σὺ μὲν τοῖς, τοῖς δ' ἐγὼ 'δόκουν φρονεῖν.*

Bonitzius quod in egregia de Antigona commentatione quam nuper in Actis Academiae Vindobonensis edidit bis magnopere me laudavit, quod recte emendassem *καλῶς σὺ μέν σοί*, ego nec merui hanc laudem, nam scholiastam sic legisse monueram, neque si ita scriberetur, intelligerem, vellemque vir doctissimus dixisset quomodo ipse intelligeret. Neque enim potest *σοί* pronomini oppositum esse *τοῖς δέ*, ut sit: *recte tu tibi videbaris sentire, his* i. e. choro, *autem ego*, cum in Ismenae et Antigonae sermone nec de chori nec de aliorum iudicio (nisi Creontis rationem v. 549. habitam putes) sermo sit. Mihi necessario *καλῶς σὺ μὲν τοῖς* legendum videtur, ut utrumque *τοῖς* neutrius dativus sit, sed instrumenti: *tu tua, mea sententia ego mihi videbar recte sapere.*

V. 718.: *ἀλλ' εἶκε θυμῷ καὶ μετάστασιν δίδου.*

Sic optimi libri; alii *θυμοῦ*. Sed neutrum ferri potest. Legendum: *ἀλλ' εἶκε μύθῳ*, int. *τῷ ἐμῷ*. Cfr. Phil. 1352.: *ἀλλ' εἰκάθω δῆτ'*; int. *λόγοις τοῖς τοῦδε* v. 1350; 1447: *οὐκ ἀπιθήσω τοῖς σοῖς μύθοις.* Hom. Il. *α*, 565. *δ*, 412.: *ἐμῷ δ' ἐπιπείθεο μύθῳ.* Contra Hermannus Aesch. Ag. 1328. *μυθοῦσθαι* mutavit in *θυμοῦσθαι*, ubi tamen dubito an praestet *μυθεῖσθαι.*

V. 736.: *ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή γε τῆσδ' ἄρχειν χθονός;*

Neque dativo cum infinitivo iunctum *χρή*, neque *γέ* particula probari potest; neque vero eorum rationem qui cum Dobreo *χρή με* scribentes dativos *ἄλλῳ* et *ἐμοί* commodi esse volunt, veram esse Haemonis responsum demonstrat: *πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρός ἐσθ' ἑνός.* Cfr. etiam v. 738.. La. *χρῇ γε*, cuius accentus mihi probare videtur quod sponte conieceram, ut Oed. Col. 604. ubi vid. schol. et interpp., *χρῆσται* vel *χρῇσται*, vel *χρῆσται*, sic hic scriptum fuisse *χρῆστι* (*χρῆστ*) vel *χρῆστι*, vel *χρῆστι*, i. e. *χρεία ἐστί.* Iam dativus recte se habet.

V. 795. ss.: *νικᾷ δ' ἐναργὴς βλεφάρων ἵμερος εὐλέκτρου*
νύμφας τῶν μεγάλων πάρεδρος ἐν ἀρχαῖς
θεσμῶν· ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει θεὸς 'Αφροδίτα.

Πάρεδρος corruptum esse stropha demonstrat, cuius vitii verum remedium nondum est allatum. Mihi scribendum videtur *παιδνός*, quasi lusorius, idem fere quod *παίζων*, ut eo respiciant proxima verba: *ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει θεὸς 'Αφροδίτα.* Non dissimile est Eur. Iph. T. 1271. *χέρα παιδνόν.*

V. 966. Cum in antistropha v. 977. legatur:

κατὰ δὲ τακόμενοι μέλεοι μελέαν πάθαν,

scribendum videtur: *παρὰ δὲ κυανέων πελαγέων διδυμᾶν πετρᾶν,*

ut sicut —οῖ—οῖ, —ᾶν—ᾶν, sic —ῶν—ῶν, —ᾶν—ᾶν se excipiant.

V. 1033. ss.: *ὦ πρέσβυ, πάντες ὥςτε τοξόται σκοποῦ*
τοξεύετ' ἀνδρὸς τοῦδε, κοὐδὲ μαντικῆς
ἄπρακτος ὑμῖν εἰμι· τῶνδ' ὑπαὶ γένους
ἐξημπόλημαι κἀκπεφόρτισμαι πάλαι.

Pro *τῶνδ'* Par., Aug., Dindorfius, Schneidewinus, alii divisim *τῶν δ'*. Schol. *ὑμῖν* explicans *ὑφ' ὑμῶν τῶν μάντεων καὶ τῶν συγγενῶν* num legerit *τῶν θ'*, dubium est. Si nihil corruptum esset, sane *τῶν δ'* scribendum esset; sed *τῶν γένους* pro *τῶν ἐν γένει, τῶν ἐκ γένους, τῶν πρὸς γένους, τῶν ἐγγενῶν* aut *συγγενῶν* non recte se habet. Quamobrem alii *τῶν* a *γένους* regi voluerunt et ad vates referri, qui aut *τῶν δ'* ediderunt, aut omissa *δέ* particula *τῶν*, idque Hermannus commate praemisso relativum esse voluit, Boeckhius, media interpunctione post *εἰμι* posita, demonstrativum. Sed alia ut mittam, offendit etiam *ὑπαί* praeter necessitatem positum. Itaque alii *τῶν δ' ὑπ' ἐν γένει*, alii *τῶν δ' ὑπ' ἐγγενῶν* coniecerunt, ipse volebam *τῶν δ' ὑπ' ἐκ γένους*. Sed recte Bonitzius veretur ne praepositionis inter articulum et nomen positae exempla non possint afferri, ut illorum nihil stare possit. Quare nescio an corrigendum sit: *τῷ δὲ παιδί μου*, unde etiam *ὑπαί* quomodo ortum sit apparet. Ac certe mirari debemus, si Creon filii proditionis quae summa eum ira inflammaverit, mentionem non faciat.

V. 1096. s.: *τό τ' εἰκαθεῖν γὰρ δεινόν· ἀντιστάντα δὲ*
ἄτῃ πατάξαι θυμὸν ἐν δεινῷ πάρα.

Ἐν δεινῷ πάρα cum, si recte dictum esset, nihil nisi *δεινόν ἐστι* esse posset, corrupta haec verba esse manifestum est. Legendum:

τό τ' εἰκαθεῖν γαρ δεινόν· ἀντιστάντα δὲ
ἄτῃ πατάξαι θυμὸν ἂν δεινῶν (v. *δεινοῦ*) *πέρα,*

i. e. *δεινῶν δεινότερόν ἐστι*. Cf. Demosth. Steph. I. §. 73. *δεινὸν καὶ πέρα δεινοῦ*. Dionys. Hal. Antt. Rom. V. p. 450, 9. Sylb. *δεινὰ καὶ πέρα δεινῶν πεπονθότες*, X. p. 632, 24. *δεινὰ καὶ πέρα δεινῶν πεπονθώς*, XI. p. 719, 23.. Paus. IV. 5, 6. *ἀνόσιά τε καὶ πέρα δεινῶν εἰργασμένον*. Cfr. Oed. C. 1749..

V. 1179.: *ὡς ὧδ' ἐχόντων τἄλλα βουλεύειν πάρα.*

Quid choro consulendum consultandumque sit, equidem nescio, sed nuntii narratio est audienda. Scribendum:

ὡς ὧδ' ἐχόντων τἄλλα μου κλύειν πάρα.

Cfr. Eur. Heracl. 693.: *ὡς μὴ μενοῦντα τἄλλα σοι λέγειν πάρα.*

TRACHIN. v. 122. s.: *ὧν ἐπιμεμφομένα σ' ἁ-*
δεῖα μέν, ἀντία δ' οἴσω.

Ἀδεῖα etiamsi per se recte esse dictum demonstrari posset, tamen metro peccat; nam in stropha v. 112.

πολλὰ γὰρ ὥςτ' ἀκάμαντος
ἢ Νότου ἢ Βορέα τις,

extremo versu brevis est syllaba, quo nomine ne *αἰδοῖα* quidem, quam elegantem Musgravii coniecturam quidam receperunt, probari potest. Equidem coniicio scriptum fuisse:

ὧν ἐπιμεμφομένα σ', ἃ
χρεῖα μέν, ἀντία δ', οἴσω,

quae utilia quidem, sed adversa tuae sententiae sunt, afferam.

V. 188. s.: *ἐν βουθερεῖ λειμῶνι πρόςπολος θροεῖ*
Λίχας ὁ κῆρυξ ταῦτα.

Πρόςπολος, cum *ὁ κῆρυξ* sequatur, plane otiosum est, apteque Hermannus id in *πρὸς πολλούς* mutavit. Facilius tamen fuerit *πρόστολος*, i. q. *προεσταλμένος, praemissus.*

V. 526.: ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα φράζω.
Conclamatus hic versus fortasse scribendus est:

ἐγὼ δ' ἀνᾶν τέρματ' οἷα φράζω,

ἀνᾶν i. q. πράξεων, μαχῶν.

V. 554.: ᾗ δ' ἔχω
λυτήριον λύπημα, τῇδ' ὑμῖν φράσω.

Fortasse scribendum λυτήριον λύπης τι.

V. 856. ss.: ἰὼ κελαινὰ λόγχα προμάχου δορός,
ἃ τότε θοὰν νύμφαν
ἄγαγες ἀπ' αἰπεινᾶς
τάνδ' Οἰχαλίας αἰχμᾷ.

Primi duo versus sic mihi legendi videntur:

ἰὼ κελαινὰ λαχὰ προμάχου δορός,
ἅτ' ὀλεθρίαν νύμφαν —.

Cfr. Eur. Androm. 14. Νεοπτολέμῳ δορὸς γέρας δοθεῖσα. In strophico versu 845. idem mihi quod Wundero scribendum visum est: γνώμας μολόντ' οὐλίαισι συναλλαγαῖς pro ὀλεθρίαις ξυναλλαγαῖς. V. 846. quomodo emendandus sit, nondum mihi constat.

V. 1018. ss.: ὦ παῖ τοῦδ' ἀνδρός, τοὔργον τόδε μεῖζον ἀνήκει
ἢ κατ' ἐμὰν ῥώμαν· σὺ δὲ σύλλαβε. σοί τε γὰρ ὄμμα
ἔμπλεον ἢ δι' ἐμοῦ σῴζειν.

Corrupta verba ὄμμα ἔμπλεον sic emendanda censeo: σοί τε γὰρ ἀκμὰ ἐς πλέον ἢ δι' ἐμοῦ σῴζειν. Ἐς πλέον sic est Oed. R. 700. 918., εἰς πλεῖστον Oed. Col. 739.. Ἀκμά vigor. Pro σοί τε γάρ, si hae particulae sic iunctae apud Sophoclem in dubium vocentur, legi potest σοί τι γάρ, τὶ ut cum ἐς πλέον iungatur.

PHILOCT. Vv. 135. et 150. mihi semper sic legendum esse visum est:

τί χρή, τί χρή, δέσποτ', ἐν ξένᾳ ξένον,
μέλον πάλαι μοι λέγεις, ἄναξ, τὸ σόν.

Libri v. 135. δέσποτά μ', v. 150. μέλον πάλαι μέλημά μοι, nisi quod Γ. v. 135. semel τί χρή, v. 150. μέλον (γρ. μέλλον) — μέλημα λέγεις. Cum Triclinio editores trimetros dederunt: τί χρή, τί χρή με, δέσποτ', ἐν ξένᾳ ξένον, et μέλον πάλαι μέλημά μοι λέγεις, ἄναξ, omittentes τό σόν, Hermannus πάλαι μέλημά μοι λέγεις, ἄναξ, τὸ σόν, omittens μέλον. Ac per se quidem trimetri hoc carmen incipientes sunt aptissimi, quos tamen ut daret videntius egit Triclinius. Et v. 135. et facile caremus pronomine μέ, neque id habuisse videtur is scholiasta qui explicat: πρὸς τὸν ὑφορώμενον ἡμᾶς ἄνδρα τί δεῖ λέγειν ἢ σιωπᾶν; V. 150. autem τὸ σόν minime otiosum putandum est, ac certe habuerunt scholiastae, quorum prior: πρᾶγμά μοι λέγεις ἐκ πολλοῦ μοι μεμεληκός, τὸ φρουρεῖν τὸ σὸν ὄμμα καὶ τὴν ἀπὸ σοῦ εὐκαιρίαν, alter: τὰ σὰ νεύματα φυλάττειν. Facillime contra abesse potest μέλημα, neque id habuisse videtur schol. explicans πρᾶγμά μοι — μεμεληκός; certe μέλημα non recte per πρᾶγμα explicatur, apte πρᾶγμα ad μέλον μοι intelligitur. Metrum autem eorum quos dedi versuum est usitatissimum.

V. 174. s. Male Hermannus, quem Schneidewinus secutus est, ex cod. Flor. ubi τῷ est:

ἀλύει δ' ἐπὶ παντὶ τῷ
χρείας ἱσταμένῳ,

cum libri recte habeant παντί τῳ. Τὸ χρείας ἱστάμενον quo sensu Hermannus accipi vult, ut sit ἡ παροῦσα χρεία, non potest sic dici, sed aut χρείας τὸ ἱστάμενον aut τὸ ἱστάμενον χρείας. Χρείας in librorum

scriptura pendet a *παντί τῳ*, nam recte dicitur *πᾶν τι χρείας*, *quidvis necessitatis*, *quaevis necessitas*, *ἐπὶ παντί τῳ χρείας ἱσταμένῳ*, *quavis necessitate incidente.*

V. 300.: *φέρ' ὦ τέκνον, νῦν καὶ τὸ τῆς νόσου μάθῃς.* *Φέρε — μάθῃς* quod sciam sine exemplo est, neque verum quod Schneidewinus affirmat, poetas sic secunda coniunctivi persona pro imperativo uti. Itaque quamquam deteriorum codd. R. et Ven. *μάθε*, aut Lc. *μάθοις* recipiendum existimo.

V. 1140. ss.: *ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν,*
εἰπόντος δὲ μὴ φθονερὰν
ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν.
κεῖνος δ' εἷς ἀπὸ πολλῶν
ταχθεὶς τοῦδ' ἐφημοσύνᾳ
κοινὰν ἤνυσεν ἐς φίλους ἀρωγάν.

Ne hic longus sim diversis interpretum sententiis recensendis, meam rationem protulisse satis habeo. Ac prima quidem verba recte Camerarius intellexit: „*Boni viri esse dicit, quae commode et utiliter fiant, probare.*" Sed vitiosum est *εἰπόντος*, pro quo legendum *εἴκοντος*. Philocteta cum vv. 1111—15 et tertia stropha Ulixem, cuius machinis arcu orbatus est, gravissime insectatus sit, chorus hunc, quippe qui communis salutis causa ab exercitu id iussus fecerit, excusat ac Philoctetam ipsum eam rationem, qua utile iustum sit habendam, probare aequum censet; sin ipsi communis salutis causa cedendum sit, linguae temperare iubet. Hoc igitur dicit: *viri (ergo etiam tuum) est id quod utile est iustum dicere*, *sin cedendum ei sit, non petulanti lingua invidiosum animi dolorem proferre.* Deinde *κεῖνος* necessario ad Ulixem qui iam abiisse eoque remotior videbatur, *τοῦδε* ad Neoptolemum, qui prope abest choroque est coniunctior, referendum, *τοῦδ' ἐφημοσύνᾳ* autem, sicut cum Seidlero probassem iam in sylloge proposui, interpretandum: *mandato huic*, Neoptolemo, *dato* (cfr. Krüger. §. 47. 7. n. 5.), ac verba *κεῖνος — ἀρωγάν* ipsum *τὸ εὖ* illud explicant. *Τῶνδ'* autem, quod quidam pro *τοῦδ'* reposuerunt de Graecorum exercitu accipientes, num admitti possit, cum longe is absit, equidem dubito.

Vv. 1163. ss.: *πρὸς θεῶν, εἴ τι σέβει ξένον, πέλασσον,*
εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν·
ἀλλὰ γνῶθ', εὖ γνῶθ' ὅτι σοὶ
κῆρα τάνδ' ἀποφεύγειν.

Primos duos versus sanos esse puto. Ut alii quidam, *ξένον* (i. e. me) *εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν* iungo, imperativum *πέλασσον* his interiectum puto, et absolute quidem, sed ut obiectum facile cogitatione addatur. Sed corruptum esse v. 1165. omnes fere consentiunt, quo correcto totum locum sic scribendum censeo:

πρὸς θεῶν, εἴ τι σέβει ξένον, πέλασσον,
εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν
ἀλκάθοντ', εὖ γνῶθ' ὅτι, σοι
κῆρα τάνδ' ἀποφεύγειν.

opem tibi ferentem, probe scito, ut hanc calamitatem effugias. Usum esse illo verbo Sophoclem docemur Bekker. Anecdd. I. p. 383, 31.: *ἀλκάθω καὶ ἀλκάθειν: Σοφοκλῆς καὶ Αἰσχύλος. σημαίνει δὲ τὸ βοηθεῖν.*

Postremo ne deperditarum Sophoclis tragoediarum fragmenta plane praetermittantur, unius quod ex Achillis amatoribus a Stobaeo Floril. 64, 13. servatum est (1. Br., 162. Df., 154. Nck.), versum sextum emendabo.

Νόσημ' ἔρωτος τοῦτ' ἐφίμερον κακόν·
ἔχοιμ' ἂν αὐτὸ μὴ κακῶς ἀπεικάσαι.
ὅταν πάγου φανέντος αἰθρίου χεροῖν
κρύσταλλον ἁρπάσωσι παῖδες ἀσταγῆ,
τὰ πρῶτ' ἔχουσιν ἡδονὰς ποταινίους·
τέλος δ' ὁ χυμὸς οὔθ' ὅπως ἄ π ε ι σ' ἔ χ ε ι,
οὔτ' ἐν χεροῖν τὸ κτῆμα σύμφορον μένειν.
οὕτω δὲ τοὺς ἐρῶντας αὐτὸς ἵμερος
δρᾶν καὶ τὸ μὴ δρᾶν πολλάκις προςίεται.

V. 6. libri *ὅπως ἀφῇ θέλει,* quod nihil plane est. Confusa sunt *ΑΠΕΙCΕΧΕΙ* et *ΑΦΕΙΘΕΛΕΙ.* Recte vero si emendavi, *χυμός* v. 5. egregie esse positum apparet neque quidquam mutandum. Alia quaedam tacite cum aliis correxi.

Quoniam perincommode mihi accidit, ut G. Dindorfiii Aeschylus nuper apud Teubnerum editus, quamquam iam pridem mihi mitti iussus, in manus meas typis tradita atque absoluta iam scriptiuncula mea veniret, sero vidi etiam Dindorfium v. 72. nunc edidisse *ἥβᾳ,* v. 94. cum Hermanno *οἷα νεάζει* commatis inclusa, v. 253. *μηνιαῖ' ἄχη,* v. 284. cum Bothio *'Ινδάς,* v. 968 et tres qui sequuntur (*θῆρες — ἐρῶ*) ut spurios uncinis inclusisse. Ceterum ut illic v. 968. ego *θῆρες* in *θεοί,* sic Soph. Phil. 177. Lachmannus *θνητῶν* in *θεῶν* mutavit.

Frid. Martinus.